



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Epitome Tribvnalis Sacramentalis Reverendissimi Patris
Petri Marchantii**

Zurmöllen, Heinrich

Neuhusii, 1677

Tractatvs III. De statu Politico & Civili.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9734

TRACTATVS III.

De Statu Politico & Civili.

TITVLVS PRIMVS.

De Regum et Principum Potestate.

ARTICULUS PRIMUS,

De Natura Status Politici.

I.

Status Politicus civilis sic recte definitur, quod sit congregatio sive cætus multitudinis personarum, certo ordine & regimine, ad invicem se habentium, juris consensu, & utilitatis communione sociata. Nam politia subjective, in congregacione multitudinis solum reperitur: & status Politicus pro substrato materiali, habet regendam multitudinem, unde & Aristot. lib. 3. politico: Politiam ordinem quendam incolentium Civitatem, in dominatione & subjectione consistentem, definit. Dicitur (certo Or-

N 6 dine)

dine) in hoc enim consistit formalitas politiæ, ex eo enim quod personæ ad invicem sibi aut dominantur, aut subjiciantur, politicum cætum constituere dicuntur. Dicitur (*juris consensu & utilitatis communione*) hæc enim duo Politiam firmant. Legum quidem concordia stabilitatem donans: Communio autem utilitatis ad eundem finem multitudinem determinans: ut totius multitudinis sit velut cor unum & anima una, ac in bonum commune omnes conspirent.

2. Ex varia vero Principantium seu regentium ratione, triplex status Politicus assignari solet, nimirum: Monarchicus, Aristocraticus & Democraticus. Monarchicus dicitur: qui ab uno regitur, ut à Rege vel Imperatore. Aristocraticus: qui à paucis optimatibus indivisibiliter se habentibus, ut à Senatu vel Consulibus regitur. Democraticus: qui à plurimis, id est ab universo populo sive multitudine, nomine universorum administratur. Ehi omnes status in hoc quidem conveniunt quod bonum commune populi, per leges ordinat.

ordinatas, & præfectos bonos respiciant, sed in hoc differunt, quod primus ab uno, secundus à pluribus, tertius à multitudine administretur. Optima autem politia est: quæ ad Monarcham & unum reducitur, cuius sit consilia discernere, decreta dare, justitiam administrare, populi bonum prosequi, ita quidem, ut quamvis Aristocratis quædam & Democratia imminisceatur, ad unum tamen principium velut Monadem reducantur, cuius judicio, sollicitudine, sapientia, justitia, quod optimum est eligatur.

3. Omnis vera, Honesta, & justa politia, juxta essentialia sua, à Deo & Dei ordinatione originem dicit, ad essentiam enim Politiae tria potissimum requiruntur: Potestas directiva: Societas multitudinis: & ordo parium dispariumque ad invicem convenientium, per modum superioris & inferioris, digni vel minus digni: atqui hæc tria à Deo singulariter procedunt: ergo & politia quæ ex ipsis coalescit. Minorem probat Apostol. ad Rom. 13. v. 1. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas nisi à Deo, quæ au-*

tem sunt à Deo ordinata sunt, itaq; quiresistit potestati, Dei Ordinationi resistit. Dicitur (*vera, honesta, & justa,*) ad excludendas Antipolitias, quæ sunt tantum Synagogæ impiorum & Ecclesia Malignantium, in quibus fucus & mendacium pro veritate, vitium pro virtute, iniq;itas pro justitia venditantur, de quibus S. Gregor. lib. 10. cap. 16. in Cap. 12. Job. à qua Antipolitia politici hujus sæculi nominati sunt, qui potius Athei, Deum, divinam providentiam, justitiam, judiciumq; abnegantes, in omnem effrænis genij temeritatem & libidinem efferuntur, à secta machiavellista dicti.

4. Tribus vero personarum generibus, tanquam partibus integrantibus, Politia consurgit, nimirum: Rectoribus, plebe, milite, ita docet S. Thom: opusc. 20. de Regim. Princip. lib. 4. cap. 25. Ex Hypodomo & Romulo. Porro sub Rectoribus, omnes qui ad Regimen concurrunt, ut: Senatus, Consiliarij, Sapientes, juris periti, qui velut confessores Regum & Rectorum sunt. Sub Plede: Omnes Agricolæ, Opifices, Artifices,

fices, & quicunque ad communem bonum laborant, sub Milite, omnes qui defensioni populi & Patriæ, ex officio & stipendio vacant, comprehenduntur.

5. Quadruplices insuper reperiuntur Politiae Civilis moderatores sive Rectores, nimirum: Reges, Imperatores, Principes, Magistratus. Reges dicuntur: qui una, universali, suprema, & independente potestate, populum sive populos, continent & gubernant, in commune multitudinis bonum. Imperatores in Natura regimini, similes sunt regibus, in hoc tantum à regibus distincti, quod universalius Dominium, ad plura se extendens contineant. Unde S. Thom. opusc. 20. lib. 3. de Regim. Princip. cap. 12. docet nomen Imperatoris fastuose traxisse originem, quasi omnium Dominus, non quod regibus propriæ dominetur, sed quod aliquas prærogatiæ habeat.

6. Principes dicuntur: qui sub Imperatoribus & Regibus imperant, & hi in duplice differentia sunt: alij enim sunt principes supremi & independentes respectu

subdi-

subditorum, in hoc tamen à Regibus distincti, quod Regum voluntate sint constituti, unde interdum Regum Feudatarij sunt, vel alia Regalia Regibus & Imperatoribus pendent. Alij sunt Principes, Regibus ac Imperatoribus subiecti, & ab illis dependentes: ut sunt Comites, Duces, Baronies, quorum Regimen mere Civile est.

7. Magistratus sunt: qui Electione vel nominatione ad tempus præficiuntur populis: unde eorum Dominium à Regali differt: 1. Quod sit temporale, & à populo certo modo dependens. 2. Quod mere politicum sit, & politicis populi legibus definitum. 3. Quod sit mercede conductum, accipiunt enim salarium à populo.

Articulus Secundus.

De Regum ac Principum Potestate.

1. **P**otestas eorum qui populis præsunt dupliciter consideranda est. Nimirum: Originative: prout in se ipsa considerata, ab aliquo principium seu originem dicit. Deinde Derivative: prout in personas singulares, certo quodam modo derivata est, & velut in illis residet.

2.

2. Potestas vero Legitima regum & eorum qui populis præsident, originative à solo Deo est, à quo omnis potestas in cælo & in terra nominatur. Patet Proverb. 8.
Meum est consilium & aequitas mea est prudenteria & fortitudo, per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt, per me Principes imperant & potentes discernunt justitiam. Idem declarat Hugo de S. Victore in Lib. 1. sui Comment. in D. Dionysij cœlestem Hierarchiam cap. 2. *Ipse (ait) rerum omnium conditor Deus, cuius ineffabilis Majestas potens erat sola gubernare quod sola creaverat: voluit in rerum à se creatarum gubernatione cooperatores habere, non ut illorum ipse Ministerio juvaretur: sed ut ipsi potestatis ipsius consortio sublimes efficerentur, Dominus ergo solus & Princeps omnium, Dominationes & Principatus sub se, & secundum se, esse instituit, in ministerio perficiendo, quod universitatis ordo deposcebat, ut opera ejus complerentur, per ordines & dispositiones.*

3. Omnis itaque potestas regia, sive cuiusvis præfecturæ, à Divina providentia

tia provenit, sive quia illam indigno obvenire permittit, sive etiam quia positive in peccati pñnam, vel populi vindictam, potestatem illam indigno subiecto dimittit. Patet Job. 34. *Qui regnare facit hominem Hypocritam propter peccata populi.* Et Eccl. 20. *Regnum à gente in gentem transferetur propter injusticias & injurias, & tumultus, & diversos dolos.*

4. Quatuor etiam modis legitima potestas, tam Regia quam Magistratus & prefectorum, personis ordinarie advenire solet: Nimirum: *Divina ordinatione*: Superioris potestatis designatione; paterna successione: electione multitudinis, patet quod ex divina Ordinatione 1. Reg. 16. Moyses & Aaron ille ut princeps populi, hic ut Sacerdos, à Deo sunt constituti. De designatione per potestatem superiorum legitur Exod. 18. ubi Moyses ex consilio Jethro saceri sui constituit Principes populi, Tribunos, Centuriones, quinquagenarios, & Decanos qui judicabant populum omni tempore. De paterna autem successione constat, in Salamone & Regibus

bus Juda, pro ut promiserat Deus David
Psal. 131. *Juravit Dominus David verita-*
tem & non frustrabitur eum: defructu ven-
tustui ponam super sedem tuam. De ele-
ctione etiam multitudinis locus apertus
est 1. Macch. 9. ubi electus est Jonathas à
multitudine in principem & ducem populi.

5. Potestas Regum quatuor potissimum
terminis clauditur. Nimis: Religione:
Honestate: Justitia, fidelitate: Religione
quidem: ut observent & provideant, de ijs
quaꝝ spectant ad Deum, & ejus cultum &
honorem: Honestate ut virtutem colant:
Justitia: ut tam respectu sui, quam aliorum
legibus divinis maxime & naturalibus se
coaptent: fidelitate: ut populum servent
& conservent.

6. Leges etiam humanæ quatenus le-
gibus divinis tam positivis quam naturali-
bus subserviunt, obligant ad culpam in fo-
ro Dei & conscientia, quia hoc titulo sem-
per aliquid de lege divina participant, vir-
tute cuius homo in foro conscientiæ, reatu
culpæ mulctatur. Alias proprium est hu-
manæ legi, quatenus humana est, obligare
ad

Articulus Tertius.

*De Obligatione Regum ac cuiuslibet Po-
testatis Civilis circa Religionem
veram.*

1. **A**ntiquitus frequenter potestas re-
gia cum Sacerdotali in eadem per-
sona unita, idemq; homo Rex & Sacerdos
fuit. Sic enim de Melchisedech. Constat
ad Hebr. 7. v. 1. quod & rex Salem & Sacer-
dos Dei summi fuerit. Job de se dicit cap.
29 v. 25. *Cumq; Sederem quasi rex circum-
stante exercitu, eram tamen mereorium con-
solator.* Quod fuerit etiam Sacerdos ex
Cap. i. constat, ubi describitur offerens sa-
crificia pro filijs suis eosque sanctificans,
ex quo inferendum potestatem Regiam &
Sacerdotalem, et si fine partiali distinguan-
tur, incompatibiles tamen non esse, imo
eidem Reipublicæ semper necessarias
fuisse, sive in unam personam, sive in diver-
sas convenient. Hinc.

2. Moderno tempore regia vel quævis
secu-

sæcularis potestas ita religionis veræ terminis conscribitur, ut nil illi liceat contra fidem, religionem & Ecclesiasticam libertatem, attentare. Hæc clare indicantur Deut. 17. ubi loquens de rege futuro: Postquam (inquit) sederit in solio Regni sui, describet sibi Deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens exemplar à Sacerdotibus Leviticæ tribus, & habebit secum leget quod illud omnibus diebus vita suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba & Cæmonias ejus, quæ in lege præcepta sunt. Ex quibus constat Reges non tantum obligari ad mandata Dei, sed etiam ad omnia quæ sunt Religionis. Unde & David. 3. Reg. 2. monet Salomonem filium suum: Ego (inquit) ingredior viam universæ terræ: Confortare & esto vir, & observa custodias Domini Dei tui, ut ambules in vijs ejus, ut custodias Cæmonias ejus, & præcepta ejus, & iudicia & testimonia.

3. Regiæ insuper & sæculari potestati, ratione sibi commissæ potestatis circa Religionem incumbit, Religionem cum vera fide conservare, in se & ditionibus suis, & quan-

quantum in se est, illa promovere : Ecclesiā cum omnibus bonis, iuribus & privilegijs defendere, Ecclesiæ proceres & Ministros protegere. Hoc tum ex Scripturatum ex Patribus ac Concilijs historijsque clarum est: & patet ex S. August. lib. 5. de Civitate Dei, cap. 24. Neq; enim nos Christiani quosdam Imperatores ideo fælices dicimus, quia veldintius imperarunt, vel imperantes filios morte placida reliquerunt, vel hostes Republicæ domuerunt: sed fælices eos dicimus, si suam potestatem ad Dei cultum maxime dilatandum, majestati ejus famulam faciant. Si Deum timeant, diligent, colant.

Articulus Quartus.

De obligatione Potestatis Civilis ad protegendas immunitates Ecclesiasticas.

I. **Q**uamvis Principatus Ecclesiasticus & politicus in Regimine disparate, nimirum Spirituali & Politico, respectivam æqualitatem habere videantur, tanquam duo ejusdem corporis capita, quorum alterum influit esse & operari Spirituale:

tuale: alterum esse & operari morale: intra terminos naturæ rationalis, nihilominus caput politicum, subjacet capiti Ecclesiastico, quia caput Politicum, ut Imperator, Rex, aut Princeps Catholicus, eo ipso quo baptizatus est, vi Baptismi Catholicæ fidei adhærere debet, juramento enim se illi adstrinxit, præter quod Imperatores & Reges singularem protectionem suscep- runt, & juramento se ad defendendā Eccle- siam, & Ecclesiæ bona, Ministros ac Im- munitates, obligarunt. Variæ autem sunt Ecclesiæ exemptiones, privilegia, & im- munitates, quibus à Potestate Civili, sive jure divino, sive humano, Ecclesia & Ec- clesiastici sunt exempti, & quidem immu- nitas sive exemptio alia versatur, circa res & bona Ecclesiæ, alia circa loca, & templo, alia circa personas, quibus defendendis potestas Regia sive sæcularis obligatur.

2. Tenetur itaque potestas sæcularis, sive Regia, sive alia quæcunq; non tantum servare sed etiam defendere: omnes im- munitates, privilegia, exemptiones, non tantum circa res & bona temporalia, Ec- clesiæ

clesiæ sive Ecclesiasticorum, sed etiam quæ loca & personas contingunt. Quia tum jure divino tum etiam Civili, hæc exemptio confirmata est. Unde in lege naturæ, Joseph accipiens in Ægypto quintam partem frugum pro Rege, exceptam solam declaravit terram Sacerdotalem, quasi lege divina naturali liberam ab isto onere, & in lege Moysi liberi servabantur Levitæ omnes, ab officijs & oneribus populi, quia divino cultui dedicati, ex bonis Deo datis vivebant. Et jure moderno Ecclesiastico, in Bulla Cænæ Domini fulminatur Excommunicatio in imponentes vestigalia, pedagia, Gabellas Ecclesiasticorum bonis.

3. Bona vero Ecclesiastica tripliciter distinguntur: alia enim sunt, quæ donationibus & oblationibus, fundationibus Pijs Regum ac Principum, sive quorumcunque Christi fidelium, Ecclesiæ jam incorporata sunt, & à Civili jure (*ut loquuntur*) amortizata, & hæc proprie dicuntur bona Ecclesiæ. Alia sunt quæ ad Ecclesiasticos quidem pertinent, sed Ecclesiæ incorpa-

corporata non sunt, nec à Civilitatis jure & oneribus liberata. Alia denique sunt: quæ usu in familia Ecclesiasticorum, quotidie pro alimentis & aliis consumuntur, & hæc non subjacent oneribus Civilibus. Bona autem Patrimonialia , & quæ Civilibus contractibus ab Ecclesiasticis acquiruntur, non sunt libera ex natura sua ab oneribus Civilibus. Quia etsi ab Ecclesiasticis possideantur, Ecclesiæ tamen vere incorporata non sunt, nec naturam Civilium bonorum exuerunt, unde cum onere Civi- li ad Ecclesiasticos transire censentur.

4. Possunt etiam in casu necessitatis vel magnæ utilitatis, vel calamitatis singularis, totam Regionem vel provinciam concer- nentis, imponi Talliæ, angariæ, vectigalia, bonis Ecclesiasticis, de facultate summi Pontificis, dummodo non fiat in fraudem, & exactiones & onera non sint ex iis, quæ in jure etiam Civilis ordida habentur. Quia ipsi sunt pars Reipublicæ, & in communione necessitate gravi, eorum bona & personæ æquali periculo exponi censentur, unde cum in grave necessitate sua & proximi, li-

O

ccat

ceat sacra vasa frangere & vendere , multo
magis licebit bona Ecclesiastica,in tali ne-
cessitate gravare & onerare ad solutionem
justæ & rationabilis contributionis.

5. Notandum tamen, si de facultate sum-
mi pontificis & consensu Episcoporum ac
Cleri impositæ sint gabellæ Ecclesiasticis
bonis, illarum exactio debet fieri per per-
sonas Ecclesiasticas, ab Episcopo sive Cle-
ro deputatas , & non per sacerdulares. Qui
sicut Ecclesiasticis sunt exempti à foro civili
& illius ministris in cæteris , sic & magis in
exactione gabellarum.

Articulus Quintus.

*De potestate seculari in Extractione
Reorum confugientium ad loca Sacra.*

I. **N**ullus reus potestate seculari ab
Ecclesia extrahi potest, nisi qui de
sequentibus criminibus sunt convicti.
I. Latrocinium publicum & viarum ob-
sessio : Latrones enim publici , juxta de-
cretum Gregorij ab immunitate excludun-
tur. 2. Depopulatores agrorum sub qui-
bus incendiarij. 3. Qui homicidia & mu-
tilatio-

tilationes membrorum, in ipsis Ecclesijs
vel Cœmiterijs committere non veren-
tur. 4. Qui hominem proditorie occidit.
5. Assassini: id est qui accepta vel promissa
pecunia, ex pacto hominem occidunt.
6. Qui ratione Hærefoes, qua quis damna-
tus est, ad Ecclesiam sive asylum Ecclesia-
sticum refugit. 7. Qui crimen læsæ maje-
statis in personam ipsius principis com-
misit. Et si vere constet de crimine à Reo
ab immunitatis beneficio excepto perpe-
trato: non licet potestati sæculari reum è
loco sacro extrahere immediate, sed id de-
bet fieri per Ministrum Ecclesiasticum.
Hoc autem sic practicandum. Quando
reus ob specificata delicta ab immunitatis
Beneficio exclusus, ad Ecclesias vel loca
sacra vel monasteria fugit, inoneatur Epi-
scopus, vel aliquis Ecclesiasticus loco Epi-
scopi potestatem habens, qui requisitus
(si de delicto manifeste constet) per se vel
alium Ecclesiasticum cum superpellico
reum educat extra Ecclesiam, & curiæ sæ-
culari exponat. Si vero noluerit egredi,
tunc Ministri Curiæ sæcularis reverentia

Ecclesiæ debitæ memores, minori quo id fieri poterit tumultu, eum extrahi curent. In casu autem quo delictum est dubium, reus tradatur carcéri Ecclesiastico, donec de criminе plene constet, & tunc demum à judice Ecclesiastico tradatur curiæ sacerdotali, ut de eo disponat.

2. Ex quibus colligitur: Immunitatem & asylum concessum esse locis, non personis qui locis præsident, vel loca inhabitant: unde etsi Ecclesiæ vel monasterium, aut locus quilibet sacer non habitaretur de facto, nihilominus reus ad illa loca contumaciam libere est, nec ab eis ullatenus in delictis non reservatis extrahi potest, nec in prædictis delictis rector Ecclesiæ, aut quisvis alius superior, licentiam dare potest ut extrahatur reus. Unde pessime faciunt Civitatum gubernatores & alij præfecti, qui refugientibus reis ad Ecclesiæ & monasteria, potissimum Regularium, in ipsos regulares insurgunt, illos convitiis impetunt, monasteria pervadunt, & insolentias non nullas impudenter exercent, quasi Rectores Ecclesiarum aut monasteriorum præfeci-

o

fecti, in illa re aliquid conferre possent, cum, etsi suorum locorum defensio sit ipsis concredita, nullatenus tamen immunitas ad illorum personas pertineat, sed locum sequatur.

Articulus Sextus.

De Obligationibus Potestatis Civilis ad rationem honesti.

1. **H**onestum in hac materia nihil aliud est, quam quod rationi rectæ Consentaneum & conforme est, & ab hoc honesto sic dicto, derivatur honestas quam describit Gerson, *Tract. 12. super Magnificat, collat. 1. honoris statum, terminum boni, finem honoris*, eo, enim ipso quo actio humana rationi rectæ conformis est, aliquem gradum moralis bonitatis participat; sicq; vocatur terminus boni, & quia gradus bonitatis estimatione dignus est, & virtuti alicui affinis, honor illi debetur; tandem quia persona ob illam actionem honore digna est, honestas finis honoris nuncupatur.

2. Legibus itaque honesti, & honestati potestas

potestas Civilis sive Regia, sive inferior
qua cuncte ita continetur, ut si quid con-
tra presumat, pro qualitate excessus gra-
vissimis peccatis, se & subditos, leges ob-
servantes liget. Quia omnis potestas le-
gitima à Deo ordinata est, repugnat autem
divinæ Ordinationi, quidquid Directrici
rationis rectæ adversarium est, ratio enim
recta, participatio quædam est, divinæ &
æternæ rationis, quæ est mensura omnis re-
ctitudinis ac honestatis, à qua proinde in
legibus voluntarie deviare, sicut summæ
amentiæ est, sic & summæ prævaricatio-
nis: & ad hanc limam probandæ sunt pri-
mum leges potestatis Civilis, si enim quid
contineant inhonesti, hoc ipso prohibita
sunt, nec licet illis obedire.

Articulus Septimus.

*De Obligatione Potestatis Civilis ad In-
stitutio ac Juris leges.*

1. **N**ihil Regibus licet agere contrajus
naturale vel divinum positivum, ad-
eoque legibus divinis, naturalibus & pos-
tivis, Reges & consequenter omnis pote-
stas

itas humana subjicitur. Quia Rex quantumvis super omnes eminens, creatura & homo est, & ut creatura subjicitur legibus Creatoris, ut homo naturæ rationalis dicetamini, & lumini vultus Dei signati super nos.

2. Reges etiam & quælibet potestas Civilis, subjicitur legibus juris gentium, in quantum à jure naturali Divino, derivatum est. Quia jus gentium immediate ex jure naturali procedit; estque determinativum juris naturalis, in ordine ad hominem, propter animal sociale est, & multiplicata jam humana natura in populos & nationes excrivit: Sequitur autem principia primaria legis naturæ, quæ sunt: honeste vivere, neminem laedere: unicuique quod suum est tribuere. Quæ Bases sunt & fundamenta omnis legis. Et hoc jus gentium multo tempore, cum leges speciales non essent index boni & recti fuit, & ab omnibus servabatur.

4. Reges insuper & omnis potestas Civilis catholica, obligatur legibus Ecclesiæ, quia hoc ipso, quo per fidem & Baptismum

mum Ecclesiæ Christi incorporati sunt,
obedientiam Ecclesiæ debent, nisi audire
velint sententiam à Christo promulgatam
Matth. 18. *Si Ecclesiam non audiris, sicuti
fiscus Ethnicus & Publicanus.*

4. Demum Reges & Principes supre-
mi, tenentur legibus fundamentalibus &
juratis Regni sive Reipublicæ obediens &
illas observare. Quod enim spectat ad
fundamentales leges regni, cum ex illis &
per illas regnum constitutum sit, qui acci-
pit vel in quem devolvitur regnum & re-
gimen Reipublicæ, censetur sub illis one-
ribus ac conditionibus accipere, aut in il-
lum devolvi, quibus regnum à principio
constitutum est, nisi communi consensu
populi aliquid fuerit immutatum. Jure
etiam divino, unusquisque tenetur ad id,
ad quod se intra limites recti & honesti ob-
ligavit juramento solemnni, sed hoc respe-
ctu legum fundamentalium regni, fece-
runt Reges & omnes de potestate sæculari,
ergo, unde bene Plinius in Paneg: ad Tra-
jan: Impera: in Rostris similibus (inquit) ipse
et legibus subjecisti ô Cæsar, quas nemo Prin-
cipi

cipi scripsit &c. (infra) ego nunc audio, nunc
primum disco: non est Princeps supra leges,
sed leges supra Principem, nimis ratione
juramenti, quo se legibus subjecit.

2. Hoc vero non obstante Reges va-
rijs rationibus supra leges esse dicuntur,
1. Quia tota potestas legum ijs à Deo con-
credita est, tanquam Dei in regimine po-
puli, vices tenentibus, nam, ut quidam ait,
Rex est similitudo sive Imago quædam di-
vinitatis in terris, dum id ipsum agit in li-
mitato Regno, quod Deus in universo.
2. Quia Regum est leges populo edicere,
in dubijs interpretari, illas temporibus ac
locis applicare, appositis pænis roborare.

Articulus Octavus.

De Obligationibus mutuis inter Reges
veros & populum.

1. **T**Res potissimum sunt obligationes
Regis ad populum. 1. Conservatio
populi per necessariorum providā submi-
nistracionem. 2. Directio illius per leges,
judicia, & incorruptæ justitiæ tam distri-
butiæ quam commutatiæ, sive etiam

O s præ-

præmiativæ & vindicativæ, administratio-
nem. 3. Defensio contra omnem adversæ
potestatis injuriam & infestationem , hi
sunt termini boni Civilis communis, qui-
bus finitur obligatio regia.

2. Tres pariter sunt correlativæ obli-
gationes populi ad Regem. 1. Regi con-
ferre omne subsidium , ad se & commune
bonum conservandum. 2. Omnem præ-
stare obedientiam,in ijs quæ ad Regni pa-
cem & bonum ab eo discernuntur , & quæ
divinis & Ecclesiasticis , ac regni legibus
non adversantur. 3. Omnem honorem &
obsequium Regiæ Majestati, jure gentium
& Regionis constitutum. Has utrimque
obligationes firmat communis fides , sive
fidelitas, quam jurat quidem Rex sive prin-
ceps, ubi regnum suscipit , & ad quam sub-
diti se obligant, dum per primores suos ipsi
Homagium præstant.

3. Rex sive Princeps deficientibus The-
sauris Regijs, ad subveniendum necessitati-
bus familiæ, Regni, Militiæ, stipendijs ju-
stis Ministrorum, jushabet subsidia necel-
faria, ex bonis civium ac subditorum exi-
gendi,

gendi , & subditos ad illa cogendi , inter terminos justitiae. Testante S. Paulo ad Rom. 13. v. 5. *Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram , sed etiam propter conscientiam, ideo enim & tributa præstatis, Ministri enim Dei sunt in hoc ipsum servi- entes.* Dicitur (*intra terminos justitiae*) quidquid enim extra terminos justitiae à subditis exigitur, inique exigitur, ac præter peccata mortalia quæ committuntur, resti- tutionis onus remanet , vel Principi , vel Ministris , qui dissimulante Principe , exi- gunt, aut scienter recipiunt, sive Princeps sciat sive non.

4. Porro: Quinque requiruntur ut Rex Vectigalia, Gabellas , tributa nova impo- nere possit populo suo. 1. Causa iusta, im- minens, præsens, vel perseverans. 2. Insuf- ficientia opum seu reddituum Principis. 3. Qualitas & proportio vectigalis. 4. Ex- actio congrua & non crudelis. 5. Distribu- tio seu applicatio debita.

5. In ijs etiam necessitatibus , quæ ad particulares Civitates & provincias perti- nent, possunt Magistratus Civitatum , vel

Tractatus Tertius,
status Provinciæ imponere Gabellas &
Tallias de licentia regis, suppositis quinq;
supra dictis conditionibus.

Articulus Nonus.

*An subditi in Conscientia teneantur Ve-
tigalia ac Gabellas solvere.*

1. **A**ntiqua tributa, Gabellas, Vectigalia, assisas regibus & principib; assignatas, tenentur subditi in conscientia ex justitia solvere, & illa defraudantes in materia gravi, peccant mortaliter. Quia illa censemur Regibus & principib; in eorum possessionem, pro regni administratione & status sui stabilimento collata, unde in Hæreditariam possessionem eorum transierunt. Ethoc modo intelligenda est Christi responsio Matth. 22, reddite quæ sunt Cæsar is Cæsari.

2. Tenentur etiam subditi in conscientia nova Vectigalia sive Gabellas solvere, si nimirum sint justæ, servatis conditionibus de quibus articulo præcedenti: Vide licet ut à potente imponere, pro veranecessitate, vel gravi utilitate publica sint impositæ.

positæ , qualitate & proportione debita servata, videlicet tam in impositionum ratione, quam in distributione eorum, quia illa revera sunt de jure subsidij, & ex justitia debentur, tum regi, tum regno, sive reipublicæ, ad ejus conservationem & administrationem. Aliud vero est, si sit justum dubium de justitia vel injustitia Gabellæ (de quo tamen in rebus publicis exercitati, & non privati judicare debent) tunc nullus in foro conscientiæ tenetur solvere, ita expresse Angelus *supra V. pedagium N. 6.* adverte (ait) quod pedagia nostri temporis sint communiter illicita: unde nisi probent legitime imposta, debemus presumere injusta.

3. Adverte tamen leges Gabellarum non obligare in conscientia, ratione inobedientiæ aut transgressionis formaliter, sed tantum ratione damni quod infertur regi, ob non solutam aut defraudatam Gabellam: unde si quis alia via præstaret in subsidium regis, quantum gabella ab ipso solvenda requirit, & ista intentione faceret, non teneretur in Conscientia ad Gabellæ solutionem.

O 7 4. Re-

4. Reges & Principes nec non Magistratus , urgente publica necessitate , vel magna utilitate Regni, Provinciæ vel Civitatis, ijsdem conditionibus, quibus jus subsidij in Gabellis & Pecunijs postulandis habent, etiam jus subsidij in personas obtinent , ut ipsis necessaria , sive ad statum suum, sive ad publicum bonum conservandum, & ab injurijs defendendum , suppeditentur. Sæpe enim subsidium personarum , & que aut magis necessarium est Regi vel regno , quam subsidium pecuniarum tenentur enim societas humanæ Regnum & Civitatum, se & capita sua conservare, jure naturæ omnibus medijs , quæ ad sui conservationem opportuna videbuntur : Sæpe autem personæ publico bono necessariæ sunt , ad defendendas civitates, itinera secura conservanda , in inundationibus, aquarum & similibus ; in quibus casibus, ubi Rex vel Civitas indiget, jure subsidij, personæ peti possunt, & tenetur populus subministrare , maxime cum Rex vel Magistratus non possit illis ex publico æratio providere, & hoc juri naturæ conforme est.

5. Non

5. Non licet tamen Regibus & Princibus pro suo libitu personas subditorum, in suum servitium vel operas assumere, sed servandæ sunt leges publicæ necessitatis suæ, vel Regni, quibus Rex tenetur se accommodare. Quia subditi Regum non sunt servi, nec servituti eorum subjecti, sed tantum publicæ necessitati vel utilitati, ex condicto libere obsequentes, ex communione Homagio quo promittunt Regi, in salute Reipublice, una cum ipso procuranda, se totos in ejus potestate futuros, & imperata facturos. Unde ista servitutis non sunt, sed publicæ salutis & utilitatis.

6. Non possunt Reges sua libera voluntate, seu privato suo aut alterius commodo de bonis subditorum contra voluntatem eorum disponere: & si faciant, furtum & Rapinam committunt, tenenturq; ad restitutionem. Communi vero & publica necessitate urgente, licet Regibus, occupare, commutare, distrahere, destruere bona subditorum, ad populum & civitates conservandas. Id salvatur communi juris axiomatice. Quod in necessitate bonum publicum,

cum, sit præferendum privato, & mem-
brum secundum ne cancer in totum cor-
pus sœviat. Licet etiam Regibus delicta
subditorum plectere, confiscatione & spo-
liatione bonorum, illaq; bene meritis tra-
dere, aut de ijs disponere, intra terminos
justitiae naturalis & Civilis.

Articulus Decimus.

*De Peccatis Regum, Principum ac Pot-
statis secularis contra has obligationes.*

1. **P**eccant Reges & Principes Catho-
lici mortaliter, qui libertatem con-
scientiæ (ut vocant) in suis Regnis & rebus
publicis permittunt, templa vel domos
pro suæ Hæreseos exercitiis, hæreticis aut
tradunt aut relinquunt, conventicula eo-
rum dissimulant, quando armis & potentia
sua impedire possunt.

2. Peccant mortaliter qui impune (si de-
bitæ super hoc moniti fuerint) permittunt
in suis ditionibus, libros Hæreticorum im-
primi, distrahi, legi, et si enim id curæ Epi-
scoporum sit, quia tamen legibus Eccle-
siasticorum coerceri nequeunt, à Civili &
armata

armata potestate puniri debent, ut Ecclesia & fideles à periculo liberentur.

3. Peccant mortaliter qui quidpiam contra Dei cultum, Religionis promotionem quovis modo aut inducunt aut induci permittunt.

4. Gravissimis peccatis se exponunt, qui confederati Hæreticis, eos in debellandis Catholicis armis adjuvant.

5. Qui contra libertatem rebus & bonis Ecclesiæ competentem, bona, decimas, & res Ecclesiæ, Monasteriorum, Hospitalium, surripiunt, dolose occupant, defraudent, vel distrahunt, aut ne recuperent pro posse impediunt peccant gravissime.

6. Peccant graviter qui pias donationes & legata Ecclesiis & Monasteriis legitime facta, nituntur revocare vel eorum effetum impedire.

7. Delinquunt mortaliter effractores Ecclesiarum & qui ex Ecclesiis bona refugarum auferunt vel vim aliquam inferunt.

8. Qui Gabellis Vectigaliis talliis extra casum necessitatis & absq; eorum consensu bona vel personas Ecclesiasticorum onerant.

9. Qui

9. Qui instrumenta chartas bona & libertates Ecclesiæ concernentes, detinent, abscondunt, lacerant, unde damna Ecclesiæ oriuntur.
10. Qui contra locorum sacrorum immunitatem, Reos extra Casus reservatos; ex eis extrahunt aut eis vim inferunt, vel quovis modo juri asyli violentiam faciunt.
11. Qui in Ecclesijs & locis Deo dicatis, judicia Civilia, concursus nundinas comedias profanas agunt.
12. Peccant gravissime qui Clericos persecutiunt, item qui Clericos convenienter tam judge sacerulari.
13. Peccant graviter qui Lupanaria publica inditionibus suis impune permittunt.
14. Peccant admittentes Histriones, Aiolos & Magos ut sua præstigia exerceant, & animas incautorum decipient.
15. Peccant mortaliter & tenentur ad restitutionem qui absque causa, novas Gabellas imponunt & ijs populum opprimunt.
16. Peccant & ad restitutionem obligantur qui Gabellas & alias assisas ob necessitates boni publici juste institutas, absque justa

justa causa in multos annos producunt ces-
santibus necessitatibus, & velut perpetuas
perennare volunt.

17. Peccant mortaliter & ad restitucionem
obligantur, qui Gabellas vel Vectigalia
pro causa necessitatis publicæ exacta, vel
in privatos usus, vel in largitiones prodi-
gas, aut in causas bono communi actu non
necessarias expendunt.

18. Peccant abutentes jure subsidij in per-
sonis, qui extra casum necessitatis Regiæ,
personis Angarias, & Parangarias impo-
nunt, Rusticos his fatigant, ad operas non
necessarias cogunt: & tenenturi ijs ad resti-
tucionem danni injuste illati, vel ad labo-
ris impensi mercedem.

19. Peccant mortaliter Ministri Regii, qui
sine gravi publica necessitate agros civium
occupat, illos devastant, domus destruunt,
& non minus peccant qui eas se destructu-
ros minantur, ut cives illas redimant.

20. Peccant gravissime qui sub prætextu
Regiæ necessitatis, cogunt pauperes do-
mos agros & exiguum suam hæreditatem
vendere.

TITV-

TITVLVS SECUNDVS.

De Consiliariis.

Articulus Primus,

De qualitatibus Consiliariorum.

1. **T**Res potissimum qualitates sunt in consiliariis requisitæ. Prima est Prudentia cum doctrina sufficienti & experientia conjuncta: quia hæc tria ad integratem veri consilii necessaria sunt. Etsi enim quis speculative doctissimus, si usum & praxin rei de qua judicandum est non habeat, toto cælo aberret necesse est. Similiter etsi doctrinam simul & experientiam habeat, si tamen rei, loci, temporis, personarum circumstantias, prudenter attendere nesciat, nec doctrina nec experientia illi prodesse possunt.

2. Fidelitas amore firmata: quæ quidem in Consiliariis Regum & Principum tria objecta habet: bonum Dei, bonum Regis, & bonum Regni. *Bonum Dei:* non enim potest quis esse fidelis Regi qui infidelis est Deo. *Bonum Regis in hac consistit:*

ut ejus personæ, statui, & felicitati in omnibus bene & fideliter consulant. Bonum Regni: ut rationem populi habeant, quatenus quiete sub Rege conservetur. Dicitur (*fidelitas amore firmata*) vix enim sine amore ejus cui consulitur, fidelitas stare potest. Ut bene S. Gregor. Lib. 1. Epist. 33. Nullus tibi fidelior esse potest ad Consilium quam qui non tua sed te diligit.

3. Est animi libertas & constantia in consulendo, si enim desit animi libertas, ut si timore aliquo displicentiæ aut perdendi favoris, non audeat veritatem eloqui, à consilio removendus est: nec minus ille qui in omnem ventum (ut non displiceat) sua consilia vertit & invertit, nulla Soliditate veritatis innixus. Unde bene dicit Senec. Lib. 6. de benef. cap. 30. Monstrabo tibi (inquit) cuius rei inopia laborent magna fastigia, quid omnia possidentibus desit; ille qui verum dicat, nemo enim ex animi sententia suadet dissuadet qz, sed adulandi certamen est, & unum amicorum omnium officium, una contentio quis blandissime fallat.

Arti-

Articulus Secundus.

De Obligationibus Consiliariorum,

1. **O**bligantur eam sibi scientiam & experientiam, studio & usu acquirere, quæ sufficiens sit ad bene consulendum; unde non tantum scire tenentur jurisprudentiam & Civilem codicem, Justinianiq; institutiones & juris Pandectas, sed & Theologorum consuetudine uti debent, cum omnium Legum justitia, justitiæ divinæ tanquam Basi innitatur. Debent etiam in Historijs tam profanis quam sacris exercitati esse; in illis enim varii eventus & eventuum causæ describuntur, & quod alij longa ætate experti sunt, ibi quasi usu & experientia probata ediscunt. Unde Eccl. 8. *Ne despicias narrationem presbyterorum sapientium, & in proverbij eorum conversare, ab ipsis enim disces sapientiam & doctrinam intellectus, & servire Magnatis sine querela.*

2. Obligantur: ut in consiliis bene attendant ad finem, sive rem ob quam fiunt Consilia: nam licet Consilium non sit tam de

de fine sive re , quæ consultatur (quippe quæ supponitur tanquam objectum) quam de electione mediorum ad finem : debent tamen Consiliarii primo attendere ad finem , ut nimirum sit honestus finis , & proinde sit bonum honestum & justum , quod in Regis & Regni sive rei publicæ utilitatem cedat , aut remotio alicujus mali , quod Regi regno aut rei publicæ alias immineat : non enim licet consilium dare ad finem malum . Attendant etiam ad media : neque enim inquis mediis uti licet , etiam contra inimicos ; illud enim Poetæ : *Dolus an virtus quis in hoste requiret* ; intelligendum est dedolo , qui respectu inferentis justus est , etsi is cui infertur decipiatur . Juste enim hostis in bello justo decipitur , dum medio , ipsis non præmeditato invaditur , quia aggressio per se justa est .

3. Obligantur ut ab omni passione vel proprii commodi , vel alieni favoris aut odii , vel cujuscunque concupiscibilis aut irascibilis impressionis sint liberi , ut consilia eorum procedant in judicio , justitia , & veritate . **Quia obligatio** quam habent publico

publico consilio regem aut rem publicam
juvandi , principium habet à juramento
quod hos comites requirit. In judicio au-
tem consulere dicuntur: qui non perfun-
ctorie, præcipitanter aut impudenter con-
sulunt. In justitia vero qui suis consiliis
nemini nocent aut nocere intendunt. De-
nique in veritate: qui ita ut in corde sen-
tiunt, & rem se habere vel media ad finem
concludere credunt , sua Consilia e-
nuntiant.

Articulus Tertius.

De Peccatis Consiliariorum.

1. **I**N statu peccati mortalis vivunt qui
de sua insufficientia consci , permit-
tunt se ad officium consiliarii assumi , gra-
vius qui ambiunt & viis indirectis se pro-
moveri curant: gravissime autem qui offi-
cia illa sibi emunt , nisi forte essent officia
mere titularia , quia periculis multorum
peccatorum se exponunt & in illis pericu-
lis vivunt.

2. In statu peccati mortalis vivunt , qui post
acquisitum officium , de sua incapacitate
consci ,

conscii, non curant studio, exercitationibus, cum viris doctis consuetudine se capaces reddere, ut aliquo saltem modo legitime officio satisfacere possint.

3. Peccant, & ad restitutionem tenentur damnorum sequentium, qui ob debitæ scientiæ defectum mala consilia præstant, unde peccata vel gravia damna oriuntur.

4. Peccant qui i scienter odio, pravo affectu, vel proprii aut alieni commodi gratia, prava consilia dant, imo in suam sententiam quam sciunt falsam, alios condescendere quovis modo procurant, & si tertio damnum aliquod inde sequatur tenentur ad restitutionem.

5. Peccant mortaliter qui proditorie vel quovis modo Consiliorum secreta aliis pandunt, & de damno tenentur.

6. Eadem ratione peccant qui sub prætextu boni vel libertatis Regiæ, bonum publicum populi, vel Reipublicę evertunt, sub ipsis frequenter Thesaurizantes. Quia qui populi & Reipublicæ bonum evertit, Regis bono adversarium se ostendit, & si-

P ve igno-

ve ignorantia sive malitia id faciat, totius
damni causa existit.

7. Peccant mortaliter qui in re gravis mo-
menti vel tacent, vel respectu aliquo hu-
mano fluctuant, vel adulazione & placendi
pruritu dicunt bonum malum & malum
bonum; aut ita adulterant sermones suos
ut æquivoce potius sua consilia proponant
quam resolutorie, ne displiceant, qui simi-
liter de damno tenentur.

8. Peccant qui in re gravis momenti per-
functorie & præcipitanter sua consilia
præstant, non attendentes aut rei impor-
tantiam, aut mediorum infirmitatem, unde
potius rem eventui futuro, immo & peri-
culo exponunt, quam vere suis consiliis
juvent.

TITVLVS TERTIVS.

De Nobilibus.

Articulus Primus.

De vera Nobilitate.

1. **N**obilitas à Doctoribus in quatuor
species dividitur. 1. Nobilitas su-
perna-

pernaturalis : quæ consistit in supernaturalibus Dei donis, & maxime gratia gratum faciente qua juxta S. Petrum 2. Petr. 1. *Efficimur divinae consortes naturæ, & quæ filij Dei renascimur.*

2. Nobilitas naturalis : quæ consistit in donis quibusdam naturalibus & virtutibus acquisitis , ex quibus homo redditur cæteris excellentior , & proinde aptus ut aliis præficiatur , sive ut multitudini imperet.

3. Nobilitas mixta : quæ partim ex studio virtutis, ac naturalibus donis, partim ex dignitate aliqua politica sive gradu provenit. Nimirum quia persona donis naturalibus & virtute praestans, nobili gradu in Republica donatur, ut cum ad magistratum , vel gradus aliquos quibus nobilitas assignata est, assumitur.

4. Nobilitas politica : quæ trahitur à majoribus virtute Claris, quibus ob præstantiam virtutum, dignitas aliqua præeminenſis designata fuit , sive populi concessione, sive Principum judicio , sive rerum magnarum bene gestarum Excellentia præ-

P 2 valente,

valente, his enim tribus fere modis nobilitas in Politicis & Civilibus primum acquisita est: & quia communiter filii Parentum indolis & virtutum Hæredes habentur, nobilitate generis filii à majoribus nobilibus nati nobiles habentur, & nobilitatem cum sanguine acquirunt. In hac vero nobilitate si virtute destituta sit, non multum gloriandum, quamvis pròdolor in mundo commune sit. Dicit enim S. Gregor. Orat. in laudem Hieron. Philos. in principio. Neq; nostrum est (ait) ac ne Philosophi quidem eam generis claritatem admirari, quæ à fabulis & sepulchris, supercilioq; jam pridem corrupto ac putrefacto manat: nec eam quæ sanguine ac diplomatis comparatur, quippe quam noctes afferrant, ac Regum ignobilium quoq; fortasse manus, Nobilitatem, velut quiddam aliud imperantium atq; decernentium: sed eam deum nobilitatem intelligo, quam pietas vi-
tae q; sanctimonia, assensusq; ad primarium illud bonum, ex quo originem traximus, insculpsit. Item S. Gregor. Orat: invent: in Maximum: circa medium: est triplex (inquit)

quit) generis consideratio: aliud enim superne Originem traxit: quo omnes per aque Nobiles sumus, quippe ad imaginem Dei Creati: aliud à carne proficiscitur: quo quidem haud scio an quisquam nobilis dici possit, cum id totum corruptione conficiatur: aliud à virtute vel vicio agnoscitur: de quarto vero genere quatenus nude politicum est, subjunxit; quartum illud nobilitatis genus quod in Principum diplomatibus edictisq; consistit, tum illo loco ac pretio habeo, cum pictam formæ Elegantiam laudandam dixero: Simiamque ob id revereri cæpero, quod Leo esse iussa sit.

Articulus Secundus.

De Obligatione Nobilium.

Duo quæ ad Regimen populi spectant in Nobilibus Vasallis distingueda sunt: unum est propria jurisdictio & Dominium in Provincias, sive dominia hæreditaria, sive quæ possident, & eorum subditos sive dominiorum Incolas. Alterum est dependentia quædam à Rege sive supremo Principe, quibus tanquam

P 3. eorum

2. Primo itaque ex Jurisdictione pro-
 pria & Hereditaria in Provincias vel terras
 suas & colonos obligantur, ad subdito-
 rum, juxta leges Civiles Regimen, illorum
 conservationem, & ab injuriis defensio-
 nem. Hæc sunt communia omni dominio
 despotico: Sicut enim Coloni & subditi
 tenentur illis ad Reverentiam, fidelitatem,
 & obsequium juxta Dominiorum leges:
 ita ipsi correlative subditis ad supradicta
 tenentur. Unde gravissime peccant Prin-
 cipes & Nobiles, qui suos subditos alias li-
 beros, sicut Mancipia regere, ad placitum
 & arbitrium præsumunt, qui eos oppri-
 munt, & quantum possunt ab injuriis de-
 fendere non satagunt. Peccant & subditi,
 qui eis honorem non deferunt, qui infide-
 liter illis obsequuntur, & qui quovis modo
 suis dominis infideles sunt.

3. Secundo Nobiles ex gradu & digni-
 tate Nobilitatis obligantur Regibus ac
 Principibus supremis ad Homagia, reco-
 gnitiones, fidelitatem & onera quæ eis

com-

competunt. Unde vocati ad bella convenire & Principibus assistere debent, interdū cum certo comitatu: Extra Provincias vero & Regna, absq; Regum & Principum voluntate, quandoque non possunt alienæ militiæ deservire. Denique fidelitatem servare tenentur in omnibus, quæ vel Regum & Principum Personas, veletiam Regnum & Provincias concernunt, & hæc oīnnia non tantum in foro fori, sed etiam in foro conscientiæ & poli.

TITVLVS QVARTVS. *De Magistratib⁹ ac Officiariis.*

Articulus Primus.

De Qualitatibus Praefectorum ac Magistratum.

I. **Q**ualitates præfectorum & eorum qui ad Magistratus assumuntur, paucis comprehendit Consilium Jethro Soceri Moysi: *Exod. 18. Provide autem (ait) de omni plebe viros potentes & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam, & constitue ex eis. Tribu-*

*nos: In quibus verbis quatuor qualitates
indicantur. 1. Requiritur virilis potentia,
debent enim qui ad præfecturas assumun-
tur, viri esse firmi & prudentis judicii, in
quibus nil puerile, nil muliebre, nihil fa-
tuum, sed ab omni passione & phantastica
imaginatione, liber intellectus sit. Debet
etiam inesse virilis fortitudo, sive ad judi-
cia & decreta ferenda, sive ad eorum exe-
cutionem. Insuper debet pollere scientia
sufficienti & accommoda Regno, Provin-
ciæ, Civitati cui præficitur.*

*2. Requiritur in illis timor Dei, ut sciant
quicunque populis præficiuntur se agere
reim Dei, ideoque Deum præ oculis in Re-
gimine habere debere, illiusque primaria
intentio sit, quæ placita sunt Deo perfice-
re: & ut Dei judicia considerans, si non
amore, timore saltem Dei, à malo aver-
tatur.*

*3. Requiritur in præfectis, veritas: ut sci-
ant discernere, & de facto discernant, ve-
rum à falso, id est ut fictionibus & inenda-
ciis non illudantur, minus suis illudant, in
ipsis enim qui præfunt, debet residere ve-
ritas*

ritas in verbo, ut quidquid ex ore eorum procedit respectu subditorum, veritati legum innitatur. Deinde necessaria est veritas vitae: ut nimirum sciant discernere bonum à malo: illorum enim est malitiam dissipare, & bonum opere & exemplo stabilire. Veritas denique justitiae, individua Comes debet esse, omnium qui populo præficiuntur: ut nimirum discernant justum ab injusto, & sic unicuique quod suum est reddatur.

4. Requiritur in illis odium Avaritiæ: ut non tantum non sint avari, sed etiam avaritiam oderint: avaritia enim est principium omnis injustitiae, iniquitatis, dissimulacionis, licentiae in Regimine, quia omnia pecuniae obediunt. Et ubi aliquis præfectorum avaritiæ deditus est, seposito Dei timore & veritate atque justitia, in omnem ruit Licentiam, aut Pauperum oppressionem. Senserant hanc pestem antiqui, qui à præfectura removendos judicabant inopes & avaros. Nec ab hoc Consilio aberrat Tyberius Cæsar: qui vix induci poterat ut præsides mutaret, pro ratione affe-

P f

rens,

rens, se hoc modo parcere velle plebeculae, indicans quod præfides ad Provinciam ad modicum tempus missi, emungerent acrius populum, etiam usq; ad sanguinem, & tanto acrius dominarentur, quanto se breviori tempore dominaturos agnolcerent, solebatq; adferre paradigma alicujus vulnerati, qui in via jacens muscas vulnus depascentes non abigebat: quod cum aliquis transiens vidisset, officium vulnerato præstitisse ratus est si muscas abegisset, sicut & abegit: ad quem vulneratus, male (inquit) fecisti quia muscæ quas aī movisti, jam sanguine pleni erant, & me parcius molestabant, quæ autem supervenient acerbius pungent, pari modo de mutatione præfectorum philosophandum est.

Articulus Secundus.

De peccatis Præfectorum seu Magistrorum.

i. **I**N peccata mortalia se præcipitant, qui Magistratus & præfecturas ambiunt, emunt, vel se ad illos promoveri curant, consci i de sua in idoneitate: fit enim ut ob

ut ob negligentiam & ignorantiam s̄epius contra bonum patrię & Principum impingant, ab Adulatoribus & iis qui propria quærunt decipientur, injusticias committant, vitia regnare permittant, & corrigere omittant, & populum hostium & inimicorum crudelitati dimittant.

2. Peccant qui pusillanimes existentes, vel hominibus placere cupientes, favoribus amicorum, donis ac muneribus, adulatorum suasionibus, in omnem ventum vertuntur: vel timore indignationis aliquorum, à justo & recto tramite deviant. Quæ peccata existimari debent, juxta damna quæ vel Rex vel Patria vel personæ privatæ inde patiuntur.

3. Qui timorem Dei abjicientes, pro sua libidine effrænes, faciunt & permittunt omnia quæ lubent, nullo respectu ad leges naturales divinas vel positivas.

4. Peccant gravissime qui faciem mundanam ita induerunt, ut nec in verbo nec in opere veritatem servent, sed ut secundum S. Grego. *Ipsorum velut professio sit, cor Mashiuationibus tegere, & sensum verbis ve-*

*Tractatus Tertius ,
lare , & tantis aulæcismis in suo gubernio
utuntur, ut de hoc sæculo dici possit quod
Osee 4. Dicitur: Non est enim veritas, &
non est misericordia, & non est scientia Dei
in terra, maledictum & Mendacium, &c.
inundaverunt.*

5. Qui non contenti stipendiis & emolu-
mentis, officio, Magistratui, sive præfectu-
ræ constitutis, exigunt & extorquent mul-
tam pecuniam, angarias, operas, contribu-
tiones in omnibus rebus à subditis , quæ
omnia præter furtum & Rapinam rei alie-
næ, continent graves injusticias & oppres-
siones plebis.

De Prætoribus , Hoffmannis, Satrapis
hic aliquid specificandum fuisset, sed cum
sit eadem accommoda ratio de illis quæ de
præfectis, & non minora peccata commit-
tant, cum ipsi ut plurimum magis ignari,
exactionibus ac injustis multis se intrica-
re soleant, ipsis doctrina superior applica-
ri poterit.

TITV-

TITVLVS QVINTVS.

De Judicibus.

Articulus Primus.

De Qualitatibus Iudicium.

Judex proprie dicitur cui ex officio competit, quæ sunt juris & justitiæ auctoritative declarare, causis & litibus legum declaratione finem imponere: omnem injuriam contra fas & justitiam, tam à Republica quam à civibus & subditis, potestate ac justitiæ mediis propulsare: cuius dignitas in hoc elucet: quod non tantum Regis sed & locum Dei teneat, & velut Deus, hominibus justitiam administret. In quo quatuor potissimum requiruntur qualitates.

1. Scientia sapientiaq; experientiæ conjuncta, ut norit jus divinum naturale & civile proportionaliter ad causas, quæ in suo tribunali proponi solent, quomodo enim discernet de rei veritate vel juris equitate qui jus ignorat.

2. Requiritur rectitudo animi in alteram partem inflexibilis, quæ qualitas colligitur

ex illo Deut. 16. *Judices & Magistros constitues in omnibus portis tuis, &c.* ut judicent populum justo iudicio, nec in alteram partem declinent.

3. Requiritur in Judice fortitudo & Justitiae zelus ut patet Eccles. 7. *Noli querere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumperem iniqüitates, ne forte extimescas vultum potenter & ponas scandalum in equitate tua.*

4. Requiritur pietas & charitas ad proximum: ut nimirum causas habentes suscipiant & audiant, omnibus & quanimes sint, eorum lites promoveri oportune provident, erga Viduas, Orphanos, pupilos & miseris personas se patres ostendant.

Articulus Secundus.

De Obligationibus Iudicium.

1. **O**bligantur ad causarum ac litium diligentem investigationem. 2. Ut in causis dijudicandis, nec amore nec odio, nec timore aut cupiditate moveantur, sed ab omni passione liberi solam justitiae veræ rectitudinem in Deo respiciant. 3. Ut sine ullo respectu humano tam in disquisitione quam

quam in judicio, & ejus executione procedant. 4. Si Judex se insufficientem sentiat, quod adhibeat justos & doctos assessores, supplere enim tenetur quod sibi in hac re deesse sentit. 5. Quod Judex non teneatur ad formalitates, modos vel apices juris, & ad accessoria quævis civili jure introducta, in casibus in quibus animadverteret ex eorum observantia iustitiam & veritatem periclitari. V. G. videt à procuratoribus, advocatis, vel partibus quæri inutiles citationes, dilationes, exceptiones, & alias formalitates sive cæremonias, ad dolos, fraudes & Machinationes injustas causæ inse- rendas, potest & debet illa negare, & sola substantia juris servata causam decidere. 6. Obligantur ne in Criminalibus, quem certo novit innocentem, per allegata falsa probatum noxium condemnnet, ut patet Exod. 23. in fontem & justum non occides. 7. Non licet Judici in Civilibus ferre sententiam contra aliquem, à cuius parte certo & indubitate novit stare iustitiam, etsi allegata & probata à parte contraria, contrarium evincant, quia judicium injustum

ex

ex natura sua, nulla lege justificari potest.
 8. Ubi post ventilatam debite secundum
 jura causam, certa justitia deprehenditur,
 non licet Judicibus declinare, ad opinio-
 nes probabiles initio causæ propositas,
 quia succedente certitudine rei, absorbe-
 tur & tollitur sola probabilitas.

Articulus Tertius.

De Peccatis Iudicium.

1. **P**eccat Judex mortaliter & tenetur ad restitucionem totius damni partilæse, si falsam & injustam sententiam pronun-
tiet aut pronunciari permittat.
2. Peccat mortaliter & tenetur ad restitu-
tionem damni, si ex ignorantia crassa pro-
ferat sententiam injustam, quia cum sciat
aut scire debuerit se ignorantem, non de-
buit nec potuit licite se judiciis intro-
mittere.
3. Peccat mortaliter & tenetur ad restitu-
tionem cum injustam sententiam protulit,
ex eo quod discussionem aut examen debi-
tum causæ neglexit, sive fuerit negligentia
studii, sive inquisitionis & informationis
debitæ

debitæ adhibendæ , sive dilationis nimiaæ , ob quam testibus in mortuis probationes vel defensiones, veræ justitiæ partibus defuerunt , sive nimiaæ præcipitationis ob quam causæ plena discussio facta non est , sive ex aliis similibus causis.

4. Si permittat se Judex corrumpi prece , vel pretio, Muneribus, obsequiis, aut aliis quibuscunque ; ex quibus sequitur injusta sententia , in hoc casu & peccati mortaloris reus est, & ad restitutionem illorum quæ accepit & ad damni compensationem obligatur.

5. Peccant mortaliter cum nimirum etsi possit & debeat , sententiam tamen dare non vult, aut non nisi interlocutoriam, aut injuste ad aliud Tribunal transfert , & quando in re clarissime justa ad compositionem cogit, sub prætextu alicujus dubii eventus, qui revera non subest sed tantum imaginarius est.

6. Peccat , si in Criminalibus aut Civilibus examinet ea, de quibus quis directe vel indirecte non est accusatus, vel alias juridice suspectus.

7. Pec-

7. Peccat si testes scienter suspectos adhibeat, vel eorum quos adhibet qualitates non satis attendat.
8. Peccat si præter exigentiam causæ torturas & tormenta adhibeat.
9. Peccat si ultra modum sententiæ rigorem augeat, & deinum omnis defectus iudicis, Reipublicæ vel Reo aliquod notabile damnum, sive formaliter, sive in causa vel consequentia afferens, est peccatum mortale & pro ratione damni tenetur. Juxta ad restitucionem.

TITVLVS SEXTVS.

De Denuntiatoribus.

Articulus Primus.

Quid & quotuplex sit Denuntiatio.

Denuntiator dicitur qui alterius crimen defert apud superiorem vel iudicem sive ut Reus emendetur, sive ut ad exemplum aliorum puniatur vel remedium malo adhibeatur. Unde quadruplex as signatur denuntiatio.

I. Di-

1. Dicitur Evangelica, quæ ad meram denuntiati emendationem dirigitur.
2. Appellatur Canonica, ad quam aliquis tenetur virtute Canonis alicujus, & qui Canonice aliquod delictum denuntiavit non tenetur ad probationem, nec potest cogi ut compareat in judicio, quamvis possit in judicio examinari ut testis.
3. Est denuntiatio Judicialis privata, quæ fit judici non ad punitionem delinquenti, sed tantum ut cogatur restituere damnum, quod denuntianti à Reo illatum est, ut si servus conqueratur apud Judicem de stipendio sibi non soluto.
4. Est denuntiatio Judicialis publica, quæ non tantum ad emendam Rei, sed etiam punitionem delicti coram Judice fit, absq; tamen obligatione ad probandum delictum aut inscriptione denuntiantis, sed tantum ut Judici via aperiatur ad inquirendum de delicto.

Denuntiator vero in denuntiacione judiciali publica, tempus, locum, crimen, personas, testes, si norit adnotare & nominare debet, sine quibus denuntiatio non urget

urget nec Judex tenetur illam acceptare, à simili vero denuntiatione repelluntur criminosi, infames, & fere omnes qui repelluntur ab accusatione.

Articulus Secundus.

De Peccatis Denuntiatorum.

1. **P**eccant si ex odio inimicitia, invidia nullo publici boni amore denuntiēt.
2. Peccant si secreta peccata vel occulta, & quæ jam sunt emendata, nec publico bono nocere possunt, deferunt.
3. Peccant si falsitatem aliquam suę denuntiationi immisceant, aut delictum ultramodum exaggerent.
4. Si in vera & legitima denuntiatione innocentes intricent, aut sint tertio innocentia causa damni.
5. Denuntiator falsus et si ad pænam talionis non obligetur, quia tamen falsum denuntiavit, pæna extraordinaria debet & potest castigari.

TITV-

TITVLVS SEPTIMVS.

De Accusatoribus.

Articulus Primus.

De Accusatoris Obligatione.

Accusator proprius dicitur, qui dato Libello Judicem interpellat adversus Reum in causa delicti vel criminis in ordine ad vindictam, ob publicum bonum obligans se ad delicti probationem: & in casu defectus probationis ad pœnam talionis. Obligatur vero

1. Ut delictum sive crimen & personam in singulari exponat, non enim sufficit in generali accusare.
2. Ut juridica sit accusatio debet vindictam delicti, sive Reum ad vindictam, ob delictum expetere.
3. Debet publicum bonum intendere, & non privato odio accusare.
4. Debet se obligare ad delicti probationem.
5. Hoc ipso quo se accusatorem declarat obligatur sub pœna talionis delictum probare.

Arti-

Articulus Secundus.

De Peccatis Accusatoris.

1. **P**eccat si falso hominem accuset ut propter de Crimine quod non fecit.
2. Peccat. Si crimen illiusque; circumstan- tias ultra veritatem augeat.
3. Si peccatum omnino occultum aut emendatum absque causa (qualis esset in proditione Civitatis vel ruina Reipublice imminent) ad judicem defert.
4. Si ex odio aut malevolentia accuset.

TITVLVS OCTAVVS.

De Reo.

Articulus Vnicus.

De Reo ejus obligationibus & peccatis.

Reus vocatur generaliter, qui ab aliquo in re controversa ad judicium provocatus est, & obligatur ad sequentia. 1. Ut se contra actorem jure defendat. 2. Ut si interrogetur juridice & legitime, judici veraciter respōdeat, objecta juridice, justē dis- solvat,

solvat. 3. Ut judici in omnibus quæ ad indicium pertinent obediatur.

Peccat igitur mortaliter: 1. Qui Judici juridice interroganti non vult respondere, aut si respondeat, æquivoce, fallaciter, aut mendaciter respondet.

2. Peccat: qui per Calumnias, injusticias, falsitates, aut quosvis illegitimos modos conatur defendere.

3. Peccat qui renuit Judici obedire, per illegitimas Appellationes, declinationes, vel dilationes, quæ in actoris legitimi damnum injustum redundant.

4. Tenetur ad restitutionem omnis danni, quod ex injusto aut falso medio se defendendi, actor justus & juridicus incurrit.

TITVLVS NONVS.

De Testibus.

Articulus Vnicus.

De Testium Qualitatibus ac Peccatis.

Testium qualitates describit *Isidor.* in *Decret: De Verb: signif: l. Forus. Testes confi-*

considerantur: conditione, natura, & vita.
Conditione: si liber: nam sæpe servus me-
tu dominantis testimonium veritatis sup-
primit. Natura: si vir non fæmina, nam
vanum & mutabile testimonium semper
fæmina producit. Vita: si innocens & in-
teger actu, nam si vita bona defuerit fide
carebit. Non enim potest justitia cum sce-
lerato homine habere commercium. Ne-
que Regularis sine licentia superioris sit
testis, nec etiam Clericus in causa sangu-
inis. Deinde requiritur ut aetas sit pubes &
in causa criminali viginti annorum, & ut
sit rationis utens, non furiosus, non ebrio-
sus, non infamis, nec pauper, ne paupertas
ingerat suspicionem corruptionis.

Peccant vero testes contra octavum pre-
ceptum. 1. Si falsum testentur. 2. Si verita-
tem taceant. 3. Si veritatem dissimulent aut
aliqua arte vel amphibologia eludant, in
proximi injustum nocumentum, tenentur
que ad restitutionem & compensationem
debitam.

TITV-

TITVLVS DECIMVS.

De Advocatis.

Articulus Primus,

De Advocatorum Obligatione.

ADvocatus dicitur qui in forensibus negotiis proponendis & discutiendis parti suum præbet Patrocinium , verbo vel scripto , hujus præcipuae qualitates & obligationes sunt sequentes . 1. Ætas congrua : non enim pueri ad Advocatorum officium admittendi . 2. Doctrina probata : ut nimirum jurisprudentiae cum fructu studuerint , & gradum Licentiæ aut saltem sufficientem scientiam testimonio Doctorum Academiæ in qua studiis vacarunt adepti fuerint . 3. Fidelitas : ut nimirum justitiæ primo , demum clientibus in iis quæ causam concernunt , fidem & fidelitatem servent , utrique parti non inserviant , aut sui Clientis imbecillia argumenta adversæ parti non revelent , nihilque injustum aut iniquum etiam contra adversam partem moliantur . 4. Diligentia , ne ex negligencia &

Q

tia & defectu studii, tempestivæ & accuratæ responsiones & comparitiones desint, & ex similibus causis contingat, causam alias justam periclitari cum clientis damno, s. Prudentia ac vita bona cum experientia & praxi conjuncta. Supponendum etiam est juramentum Advocatorum, quo se obligant & jurant, diligenter & ex fide, hoc est fideliter, officium suum præstituros, item se cognita causa improba vel penitus desperata, scienter mala cōscientia litin non patrocinaturos, immo si causa procedente aliquid tale sibi cognitum fuerit à causa Patrocinio recessuros.

Articulus Secundus.

De Advocatis Pauperum.

NE causæ Pauperum & miserabilium personarum, ex defectu mediorum aut advocati & procuratoris perdantur, & exinde talium sequatur oppressio, tenentur Magistratus & Judices, pauperi & miserabili personæ, ubi similium causæ agitantur, assignatis advocatis ac procuratoribus providere ne opprimantur. De his per

per Scripturam monentur Psal. 81. Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate, &c. Item obligantur Judices ubi pauperes personæ ob defectum stipendii advocatos in suis causis vitæ subsidia, vel famam vel aliam gravem necessitatem concernentibus non reperiunt, illis de publicis sumptibus, Advocatos ac Procuratores constituere, quia illorum est in necessitate extrema aliis providere. Item quilibet advocatus à paupere vel miserabili persona rogatus, ut causam suam aliquam urgentem agat, cum, ut supponitur non habeat unde salarium ei det, tenetur sub peccato mortali gratis advocare: quia necessitatem extremam patienti tenetur Christianus ex præcepto Charitatis, sub peccato mortali subvenire. Item: etsi Clericis non liceat in causis Civilibus advocare, id tamen licet in causis pauperum & miserabilium personarum, & fundatur in charitatis debito & necessitate.

Q 2

Arti-

Articulus Tertius.

De Peccatis Advocatorum.

1. **P**eccant tam contra Juramentum quam contra justitiam gravissime qui causas omnino improbables sustinēt, & qui tales quærunt processus & ad hos clientes instigant.
2. Qui omnino in justas causas defendunt, vel si aliquam speciem probabilitatis habent, eloquentię lenociniis & meritis fallaciis ita vesciunt ut non nunquam justa causa periclitetur immo omnino succumbat.
3. Peccant qui injustitiam cause deprehendentes nihilominus illam prosequuntur.
4. Qui lites & causas suis astutiis protrahunt, quæ brevi tempore poterant finiri & hoc ut lucra sua augeant.
5. Qui sua negligentia vel ignorantia sunt causa quod causæ etiam justæ perdantur.
6. Qui cum adversa parte colludunt vel quovis modo suis clientibus sunt infideles, quod vel parti secreta revelent, vel utrique deserviant.

porro grave restitutionis jugum imminet

net advocatis in omnibus illis peccatis quæ triplicem malitiam habent. Deum enim per jurio & injustitia offendunt, judicem decipiunt aut decipere tentant: Clientes aut partem in bonis temporalibus lœdunt: ita ut ex omni parte restitutionem damni temporalis, interdum etiam honoris & famæ lesæ obligentur.

TITVLVS VNDECIMVS.

De Procuratoribus.

Articulus Primus.

De Procuratorum Obligatione & Peccatis.

I. **P**rocurator ad lites dicitur, qui nomine Clientis litem in judicio contestatam prosequitur, & ad finem deducere conatur, in tali vero procuratore requiritur. 1. Idoneitas, quæ consistit in eo ut non laboret aliquo defectu pro quo à judicii actionibus repellatur. Nimirum: ut non sit mulier sed vir, non puer, non fatuus, aut furiosus, non infamis: sed habeat illas qualitates quas quilibet Curia requirit. 2. Au-

Q 3

ctori.

ctoritas: quæ requiritur in omni procurante ex parte personæ vel communictatis pro qua procurat, consistit autem in auctentico mandato, quo & procurator designatur, & mandatum de lite prosequenda vel plenarium vel restrictum ipsi datur, cum sponsione de omnibus quæ ad litem spectant. 3. Fides & diligentia: quæ in hoc consistit, quod eadem fide & diligentia omnia sibi commissa peragat, qua ipsemet cliens si adesset & litem per se prosequeretur, ageret.

2. Obligatur vero ad hoc ut bona fide procedat, & bona fide quæ sibi licite demandata sunt faciat. Non censetur autem bona fide procedere, si sciat & adulteret causam injustam, improbabilem, vel cautelis & dolis refertam: nec censetur bona fide agere, si ipsemet injustos dolos, astutias, vel calumnias adinveniat & exequatur, in detrimentum justitiae, deceptiōnem advocati, illusionem judicis, ac præjudicium & detrimentum partis. Nec censetur etiam diligentiam bona fide debitam adhibere, si ob suam cupiditatem litem pro-

protrahat, si in tempore comparitionis, Responsones, defensiones, instrumentorum productiones non habeat: denique quidquid negligenter mala fide, consentiente procuratore in causa agitur, in procuratoris culpam & peccatum revolvitur teneturq; de omni damno quod infidelitate, malitia, vel negligentia sua, clienti vel parti injuste advenit.

TITVLVS XII.

De Salario et Munerum Receptione.

Articulus Vnicus.

Quid sit Salarium & quæ munera recipi possint.

I. **S**alarium dicitur merces sive honosarium quod alicui præstatur ex iustitia ob laborem vel operam, derivatur vero nomen Salarium à sale, quia sicut sale condiuntur & conservantur cibi, sic operans salario conditur & conservatur. Variâ vero salario ministris iustitiæ obvenire solent, alia sunt jure publico assignata, &

Q 4

hæc

hæc ita persolvi debent ex justitia, ut nec absque injustitia illis subtrahi, nec majora absq; injustitia, ipsistante lege exigere possint. Alia Salaria consuetudine donantur & hæc, quamdiu consuetudo non est reprobata iusta reputari debent, & quamvis excedere viderentur, juste tamen accipiuntur, quia consuetudo pro lege habetur & communi utentium sensu justificatur.

2. Licet vero Judicibus extra Domum & propria civitate evocatis, & extraordinariis operibus in cause agitatione, contra communem sortem vacantibus, expensas & sumptus necessarios & congruos accipere ultra salario, communijure designata, idem dicendum de Confiliariis, Advocatis, & Procuratoribus, quia illa non censemur venisse in considerationem legis, & quia de facto communem operam excedunt, iis amplius honorarium debetur, etiam preter expensas viætus & itineris considerato labore ac opera quain impendunt. Item: Sportulæ quæ longa consuetudine in judiciis peti aut dari consueverunt sine peccato accipi & expendi pos-

funt,

sunt, quia illa per consuetudinem publicam
& continuam justificantur.

3. Item munera quæ post totam litem
decisam non unquam, in gratiarum actionem
offeruntur, si non sint prius directe
vel indirecte promissa sive prævisa, nec in
pactum venerunt, possunt absq; conscientiæ
læsione recipi, quia illa ut sic, non po-
tuerunt animum Judicis aut Ministrorum
justitiæ movere ante sententiam, & conse-
quenter nec judicium pervertere.

Alias munerum receptio à Ministris vel
administratoribus justitiæ, semper reputa-
ta est iniqua aut suspecta, aut vilis. Ita com-
muniter Scripturæ. Eccles. 20. Xenia & do-
na excæcant oculos judicium & quasi mu-
tus in ore avertit correptiones eorum.

TITVLVS XIII.

De Scribis.

Articulus Vnicus.

De Scribarum Obligatione & Peccatis.

I. **S**cribæ dicuntur qui ex officio omnia
judicialia acta, dicta, & inquisita de-

scri-

Q5

scribunt fideliter , & in authenticum librum referunt , illos obligat juramentum cui se adstrinxerunt , servare: fidem indubitam scripturis conciliare , diligentia sua providere ne dubium aliquod erroneum in eorum Scripturas serpat: item secretum servare , ne quid dicant , revelent , vel scripto tradant , quod in præjudicium Reipublicæ , Magistratus vel Judicis quibus deferviunt , aut privatarum personarum quarum acta describunt , cedere possunt.

2. Omnis igitur Scriba , qui in aliqua re gravi juramentum suum & fidem violavit sive falsificando Scripturam , vel instrumentum publicum privatumque , sive ex negligentia aut malitia aliquid omittendo vel mutando sive quæ secreto servari debent Revelando , præter pænas juris quas incurrit , peccat mortaliter , etsi damnum aliquod ex prædictis provenerit tenetur ad restitutionem.

TITV-

TITVLVS XIV.

De Notariis.

Articulus Vnicus.

De Notariorum obligatione ac peccatis.

I. **N**otarius dicitur qui auctoritate publica & legitima institutus est, ad scribenda instrumenta & alias scripturas, quæ fidem publicā faciant, quibus quivis in iudicio & extra stare teneatur. In iis requirebatur antiquitus, scientia sufficiens notariatus, fides sive fidelitas cum probitate vitae & diligentia, verum alia postea addita sunt, nimirum: ut sint legitime nati, vivacitate sensuum pollentes, hoc est nec surdi, nec cæci, nec muti, ætatis 25. annorum, honestæ famæ, & mediorū mediocrium, instituti ab habente potestatem, mediante juramento quod sequentia complectitur: Nimirum: quod Notarius de iis ad quæ vocatus fuerit, & quæ personaliter viderit, vel audierit, aut requisitus fuerit absque diminutione veritatis vel admix-

Q 6

tione

tione falsitatis , aut quavis alteratione
veritati repugnante, sua instrumenta inte-
gra & non violata faciat. 2. Quod injun-
cta sibi secreta nemini revelet. 3. Quod de
omnibus instrumentis quæ consecerit
protocolla sibi servet. 4. Quod de con-
tractu usurario scienter instrumentum
non conficiat. 5. Quod absque passione
odii timoris vel amoris cum integritate
conscientię officium suum administret. In-
strumentum vero Notarii ut fidem faciat
requirit sequentes conditiones. Namirum:
ut invocetur Nomen Domini , & ponatur
annus, Mensis, Dies, indictio, Nomen Pa-
pæ , Imperatoris , Regis, Principis, respe-
ctive in terris ipsis subditis : deinde locus
contractus, series facti sive actus, testes,
quorum etiam erit signare vel notam ali-
quam adhibere, Notarius vero signet suo
ordinario signo, & in subscriptione notet,
a quo vel quibus legitime institutus sit no-
tarius, & appareat etiam quod rogatus fue-
rit : Demum instrumentum debet coram
paribus relegi, si etiam partes signent, res
magis auctentica erit.

2. Pec-

2. Peccant vero Notarii. 1. Si contra veritatem instrumentum faciant, vel illi aliquam falsitatem inspergant, aut alio modo alterent contra integritatem. 2. Si eorum negligentia, ignorantia aut Malitia, aliquis error contra substantiam instrumenti irrepat. ut: in Nomine, Die, substantia contractus, convocatione testium. 3. Si infidelitatem aliquam committant revelando secreta, aut dando copias instrumentorum iis quibus non debent. 4. Si cui ex negligentia culpabili, ignorantia vel infidelitate damnum eveniat, tenentur ad restitutionem.

TITVLVS XV.

De Matrimonio ac Coniugatis.

Articulus Primus.

*Quæ fuerit Matrimonij Prima
institutio.*

1. **I**nstitutum est Matrimonium à Deo in statu innocentiae, in loco paradisi, ante Adami & Evæ peccatum, in officium naturæ, & propagationem generis humani, illudque in institutione primæya, mul-

tis prærogativis honoravit. 1. Benedictio singulari Gen. c. 1. Masculum & faminam creavit illos, benedixit q̄z illis & ait crescite & multiplicamini. 2. Singularitate duarum personarum ad invicem, ita ut una fæmina nullum masculum putet factum in mundo præter unum, & è contra. 3. Amore mutuo & cordium unione, sicut acutissime testatur Procopius: dicens: *Sapienter Deus ex uno fingit duos, ut unum iterum ex duobus constituat invicem copulatis per Matrimonium.* 4. Indissolubili societate Gen. 2. *Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem & adhæredit uxori sua & erunt duo in carne una.* 5. Castimonia & pudica honestate Gen. 2. Ubi natura Matrimonii explicata, statim subjungitur: *erat autem umer q̄z nudus Adam scili & Eva uxor eius & non erubescabant.* Duos vero tantum fines habuit Matrimonium in statu innocentia, tanquam officium naturæ institutum: nimirum: multiplicationem liberorum, & vitam socialem.

2. Matrimonium vero à Deo in statu innocentia, ad effectum naturæ institu-

tum,

tum , pro omni statu sive lege institutum fuit , & usque in hanc horam juxta essentialia sua , etiam in lege Evangelica perseverat. Omnia vero quæ successu temporis vel immutata vel addita sunt , nihil in substantia vel essentia Matrimonii immutarunt, sed tantum in iis quæ à legibus , ob bonum universi pendebant , conditiones nonnullæ , pro ratione circumstantiarum superadditæ sunt : Explico : in lege naturæ post ruinam peccati, & ebullitionem concupiscentiæ carnis , Matrimonium , quod officio naturæ tantum deputatum erat, in remedium concupiscentiæ etiam à Deo ordinatum est, manente officio propagandæ prolis, tanquam basi Matrimonii. Item: quia paucitas personarum homini jam Morti, & eventibus morborum exposito, orbis repletionem impeditiebat, à Deo Polygamia permissa fuit. Item: in lege Moysi circa personarum habilitates & inhabilitates, nonnulla sunt lege Ecclesiastica sancta, & nonnulla ex dispensatione Dei per Moysen decreta, salva semper Matrimonii substantia. Tandem in lege nova Matrimonii-

monium, quod in officium naturæ, ad illud usque tempus remanserat, substantia & essentia immutata, ad sublimiorem gradum Sacramenti, Redemptoris gratia evectum fuit: quidquid autem additum est, essentiam Matrimonij in ratione Matrimonij non excedit.

4. Petes quid ratio Sacramenti novæ legis Matrimonio addiderit. Resp: quod Matrimonio primævo duo restituerit, & alterum supernaturalis effectus super addiderit, nimirum signum sensibile, efficax gratiæ & auxilii supernaturalis. 1. Quod restituit, est singularitas duarum personarum ad invicem, prohibita enim polygamia, Christus Sacramento novæ legis unitatem conjugii, ad duos solos, ut fuerat à principio reduxit. 2. Est indissolubilitas: nam abrogato divortio indissolubilitatem ad firmum vinculum reduxit. 3. Quod ratio Sacramenti superaddidit, est efficacia gratiæ supernaturalis, per sensibile signum, unde Matrimonium novæ legis sic definitur: Matrimonium in nova lege, est Sacramentum conjunctionis individuæ, Maris

&

& fæminæ , contractu legitimo & sensibili signo celebratum , quo gratia sanctificans contrahentibus datur , in ordine ad prolis procreationem & alios fines honestos .

Articulus Secundus.

De contractu Matrimoniali ac ejus valore.

1. **C**ontractus Matrimonialis , est legitima traditio & acceptio potestatis in mutua corpora , legitimis signis facta , in ordine ad prolis procreationem , & individuam vitæ societatem . Contractus enim Matrimonialis non dicitur , nisi contrahentes actu potestatem in mutua corpora tradant , & ab invicem illam acceptent , quæ traditio & acceptio , his verbis solet exprimi : accipio te in meam : accipio te in meum .

2. Ad validum tamen & legitimum contractum quatuor requiruntur . 1. Personæ habiles : quæ habilitas personarum consideratur ex potentia Naturali , si nimis ad actus Matrimoniales , ex naturali constitutione personæ sint aptæ , nec ab actibus

Matri-

Matrimonialibus perpetuo . vel quasi perpetuo impedianter , hoc porro impedimentum dupliciter evenire potest: tum ratione vasis , aut instrumenti: ut si mulier stricto nimis vase & impedito à copula perpetuo impedita censeatur : & vir virgæ brevitate ad copulam innepta laboret. Tum si vir vel fœmina debito semine careat, item habilitas personæ oritur , ex potentia naturalis legitimo usu , si nimis ex aliquo impedimento , actus Matrimoniales prohibiti non sint , quod impedimentum oritur vel ex voto, vel consanguinitate aut affinitate, de quibus infra.

2. **Consensus** verus liberæ voluntatis: ad quem requiritur liberi arbitrii usus in utroque contrahente. Item: ut de facto libere operentur dum contrahunt, & ut vere in contractum ejusque obligationes , uterq; consentiat: hinc excluduntur pueri, amentes, furiosi etiam Ebrii : hi enim pro illo tempore libero arbitrio non utuntur. Item non consentiunt valide qui coactio ne, violentia , metu in constantem virum cadente, consentiunt. Quia etsi usus liberi arbitrii

arbitrii sint capaces , nihilomin⁹ tunc libe-
re non operantur, sicut etiam non consen-
tire censentur , qui intentionem contra-
trahendi non habent, sive etiam qui con-
trariam voluntatem habent, et si aliud foris
exprimant.

3. Mutua utrimque obligatio : quæ est
vinculum debiti mutui in utraque persona
& effectus , formalem matrimonii contra-
ctum concomitans.

4. Conformitas ad leges divinas: quia va-
liditas matrimonii, ut est Sacramentum vel
contractus à Deo institutus , non pendet
à legibus civilibus ut civiles sunt , sed solis
legibus divinis naturalibus & Ecclesiasti-
cis subjicitur , & conformis esse debet quo
ad validitatem , potest enim magistratus
Civilis , quædam impedimenta ac leges
matrimonii imponere , quæ etsi contra-
ctus matrimoniales in foro Dei non annul-
lent , obligant tamen aliquando in foro
conscientiæ quo ad culpam, & in foro Ci-
vili quo ad pænam.

Arti-

Articulus Tertius.

De Impedimentis contractum Matrimoniale dirimentibus.

Impedimenta matrimonium dirimentia quatuordecim referuntur. Nimis: ignorantia sive error, conditio, votum, cognatio, crimen, cultus disparitas, coactio sive vis, ordo Sacer, Matrimonium cum altero Conjuge, Honestas ex sponsalibus orta, affinitas intra certos gradus, impotentia naturalis coitus matrimonium antecedens, & ex Concilio Tridentino absentia Parochi & testium, Raptus mulieris, verum hæc omnia sequentibus elucidantur.

1. IMPEDIMENTUM: Erroris est, quando quis errat positive circa substantiam personæ, utpote cum putat se contrahere cum Rachaele, & contractu facto invenit esse aliam V.G. liam.

2. IMPEDIMENTUM: Conditionis est: si quis putans se ducere liberam, ducat mancipium, quia etsi quo ad personam in substantia non erret, errat tamen in hereditaria conditione, quæ personæ adhaeret & personam viciat,

vitiat, qualis est perpetua servitus & p̄na posteritatis, unde interpretatione communi juris, qui conditionem hanc penitus ignorat, aut positive credit non inesse, non censetur consensisse, aliud esset si persona contrahens sciret personam, cum qua contrahit esse mancipium, tunc enim censetur consentire. Addo: si aliquis ducat in uxorem pueram vulgarem putans esse nobilis; vel meretricem credens esse virginem, imo & sortilegiam aut veneficam, ignorans quod talis sit: quod impedimentum conditionis non habeat locum, neque enim ignobilitas, vel virginitas, vel corruptio, aliquid per se ad matrimonii contractum confert: sicut nec divitiae, paupertas, pulchritudo & deformitas: sed illisstantibus, omnia bona matrimonij, quae per matrimonium intendantur, integra sequi possunt. Idem est de Veneficis & Sagis, hoc enim vitium non est conditio personæ qua persona est, sed conditio voluntaria, cui per p̄nitentiam saga renuntiare potest, & bonis omnibus matrimonii qua matrimonium est satisfacere.

3. IMPEDIMENTUM: Coactionis sive vis est: quod impedit consensum absolute voluntarium, ad matrimonium enim requiritur ex natura ejus, consensus absolute voluntarius. Sufficit vero ad validitatem matrimonii, ut voluntarium superet involuntarium, si simul sint conjuncta: & haec est Regula & statuta, ad quam expendi debent voluntarii, & involuntarii, ac mixti consensus, in matrimonio, cum de absoluta voluntate & consensu dubitatur. Ubi enim voluntarium excedit involuntarium, signum manifestum est matrimonii validi.

Metus vero cadens in constantem virum, matrimonium invalidans censetur, qui ex apprehensione vera, gravioris malii imminentis oritur, rationabiliter suadens eligendum minus malum. Ad talem vero metum dijudicandum quinque examinanda sunt. 1. Attendenda est persona metum incutiens, an potestate emineat, ut Princeps, Magistratus, Parens tutor, item si sit persona iracunda, moribus ferox, suæ opinionis tenax, quæ soleat quod minatur ex equi. 2. Attendenda est persona cui incurratur

titur. 3. Attendendum malum quod imminet, ut sit grave in se saltem aestimatione morali, si enim grave saltem aestimatione morali non sit, metus ex eo incussus, gravis non aestimatur. 4. Attendendus est modus quo incutitur, debet enim juste incuti, si enim motivo justo incutiatur, erit etiam metus justus V.G. Judex minatur mortem Joanni qui virginem defloravit nisi ipsam in uxorem ducat, metus ille censetur juste incussus, ad extorquendum consensum & haec non est violentia sed justitia. 5. Videntia est apparentia mali imminentis aut futuri, si enim non esset apparentia futuri aliquius mali, inutilis formido judicaretur. Metus itaque gravis mali alicujus, juxta has quinque conditiones examinatus, & in juste incussus, matrimonium contrahendum impedit, & contractum dirimit, causat enim involuntarium, & si quid voluntarii reperiatur, illud non est nisi imperfatum, quod ab involuntario superatur.

Metus gravis Reverentialis, quo grande malum: ut indignationis & aversionis perpetuae parentum, exhaeredationis, apprehen-

prehenditur: casu quo in matrimonium non consentiat, irritat matrimonium, professionem, aliosque contractus, et si aliæ comminationes non adhibeantur, talis enim metus vere voluntarium positivum tollit.

4. IMPEDIMENTUM: Raptus dicitur: quo puella violenter ex parentum potestate extrahitur, ad matrimonium contrahendum: ad Raptum vero ut sit impedimentum dirimens tria requiriuntur. 1. Ut violenter inferatur puellæ, si enim consentiat, non est raptus, quia sponte censetur abiisse. 2. Ut extrahat à potestate parentum. 3. Ut violenter extrahatur ad effectum matrimonii, si enim quis puellam violenter abduceret, ut ea abuteretur, stuprui quidem esset, Raptus tamen ut est impedimentum dirimens non esset. Textus vero Concilii Trident. sess. 24. de Reform. Matrim. c. 6. Sic habet: decernit S. Synodus inter Raptorem & Raptam, quamdiu ipsa in potestate Raptoris manferit, nullum posse consistere Matrimonium: quod si Rapta à Raptore separata in loco libero constituta, illum in vi-

rum habere consenserit, eam Raptor in uxorem habeat.

5. I M P E D : Impotentia perpetua coeundi matrimonium, undecunque proveniat, impedit contrahendum, & dirimit contractum, quia cum finis matrimonii sit, aut proles, aut libidinis remedium, qui ad neutrum finem aptus est, consequenter ad matrimonium ineptus est. Porro in coitu duo concurrunt. Primum est congressus, sive immissio sufficiens membra virilis in vas muliebre : Secundum est: seminatio sive emissio veri seminis intra vas praeditum, qui igitur sive ex naturali impotentia, sive ex morbo: Maleficio, vel quaunque de causa, ante Matrimonium laborat impotentia perpetua, in alterutro vel utroque ad coitum requisito, censetur inhabilis ad matrimonium contrahendum, redditurque nullum si contrahere attentet. In mulieribus provenit haec impotentia, ex arctitudine vasis, in viris ex brevitate ac nimia mollitie virginis, in utrisque ex frigiditate naturae, Maleficio, carentia Testiculorum, & veri seminis. Dicitur vero *impotentia*

R

tentia

tentia perpetua: quæ aut omnino non potest tolli, aut non sine miraculo, aut peccato, vel gravi corporis læsione aut periculovitæ. Ethæc impotentia probanda est prudenti medicorum judicio, & Theologorum quo ad conscientiam Consilio, nam Ecclesia ubi aliquod dubium est, dedit experientiam Triennii, quo transacto, si conjuges se ad coitum & seminationem impotentes sentiant, ab invicem separari debent, creditur autem eorum juramento, si aliunde non appareat, alias ubi aliunde appareat, per visitationem vel aliam experientiam triennium exspectandum non est.

6. IMPED: Voti intelligendum est, de voto solemnis castitatis, quod emittitur in professione Religiosa. Quia votum simplex etiam castitatis perpetuæ, non dirimit matrimonium, etsi illud impedit. Ratio est, quia qui se ipsum tradidit uni, non potest se tradere alteri; constat autem quod qui perpetuam Deo vovit castitatem: Deo potestatem corporis sui tradiderit, non potest igitur homini tradere. Et in ista traditione consistit differentia, inter vo-

tum simplex & solemne castitatis: Nimirum: quod in voto simplici, tantum promittatur Deo corpus & animus in perpetuum: voto vero solemni non tantum promittatur, sed & tradatur & solemniter ab Ecclesia Dei nomine acceptetur.

7. IMPED: Ordinis intelligitur de ordinibus sacris seu majoribus, quorum susceptioni votum solemne perpetuae castitatis, ab Ecclesia annexum est.

8. IMPED. Ligaminis nihil aliud est: quam vinculum conjugum, ex Matrimonio rato & consummato ortum, quod utroque coniuge vivente solvi non potest: adeoque neuter conjux alteri nubere audet, quod si attentaverit, Matrimonium nullum erit. Patet *Marc. 10. Quicunq^z dimiserit uxorem suam & aliam duxerit, adulterium committit, & si uxor dimiserit virum suum & alteri nupserit, mechatur.* Rom. 7. *Quae sub viro est mulier allegata est legi, si autem mortuus fuerit vir ejus soluta est à lege viri.* Et potest ad secundas nuptias transire, accepto nuntio certo de morte viri, ad hoc vero requiritur, ut qui

R 2

refert

refert sit vir omni exceptione major, & ut
sciat rationem reddere suę notitię Pruden-
tum judicio, vel ut testes & signa evidētia,
ut testamenta vel instrumenta proferat,
vel denique ut sit fama communis, ex rela-
tione plurimorum, maxime qui de Magi-
stratu loci sunt, vel aliquam administratio-
nem habent. Certum est tamen quod qua-
cunque certitudine data, si postea depre-
hendatur error: Mulierem in absentia viri
alteri nuptam, deprehensō viro adhuc vi-
yente vel illo redeunte, debere sub pāna
adulterij, à secundo marito discedere, simi-
liter & virum à secunda uxore.

9. IMPE D: Criminis triplicia sub se
crimina, Matrimonium dirimentia com-
plectitur. 1. Si adulteri procuravit propriæ
uxoris, vel mariti adulteræ mortem, vel è
contra, ut ad invicem matrimonio jungs-
rentur. 2. Si Adulteri data fide sibi invi-
cem matrimonium promiserunt, marito
adulteræ vel uxori Adulteri moriente.
3. Quando viventibus conjugibus priori-
bus, adulteri scienter inter se contraxe-
runt. 4. Nonnulli addunt quando qui Ma-
trimo-

trimonium ineunt, uterque in mortem alterutrius priorum conjugum consensit, nullo tam en præcedente adulterio.

10. IMPED. Cognitionis ut intelligatur, attendenda ejus descriptio. Nimirum: quod cognatio naturalis sit, qua aliqui, quasi uno stipite nati, ex eodem velut sanguine nascendi initium participant, unde & consanguinitati dicuntur. Porro pro ut à stipite diversimode distant, diversos gradus obtinere dicuntur, cuius Notitiam ex figura hac crucis Lector habere poterit.

	Tritavus		
	Proavus		
	Abavus		
	Avus		
Personae Centrica			
Soror	Pater	Mater	Frater.
Consobrina	Filius	Consobrinus	
Filia cōsobrini	Nepos	Sobrinus	
Cognata 4. Gradus,	Abnepos Pronepos	Cogatus 4. Gradus.	

R 3

Qua-

Quatuor hic assignantur gradus super personam centricā descendentes: quatuor utrumque collatrales, ita ut distantia sumatur à personis centricis tam quo ad ascendentēs quam descendentes ac collaterales, & Ecclesiastico quidem iure sumuntur, distantia à remotiori: ita ut si filia personæ centricæ, cum cognato 4. gradus conferatur reputetur distare 4. gradu, quamvis in praxi dispensationum Romanorum aliud exprimatur. Qualiter vero cognatio sanguinis Matrimonium dirimat ex sequentibus patebit.

1. Jure divino naturali prohibitum semper fuit Matrimonium filiorum filiarumq; cum personis centricis, hoc est Patre vel Matre, ita ut ipso jure naturali divino tale Matrimonium nullum & nefandum fuerit.

2. Jure divino Naturali prohibitum est Matrimonium inter descendentes & ascendentēs in linea recta in quocunque gradu, nam in linea recta descendentes habentur pro filiis, ascendentēs pro parentibus à quibus descendentes originem ducunt.

3. Jure positivo Ecclesiastico cognatio

qua-

quævis naturalis , sive ex legitimo sive ex illegitimo concubitu proveniat, ad primos quatuor gradus collaterales est reducta, ita ut in illis solis quatuor gradibus consanguinitas impediatur matrimonium contrahendum & dirimat contractum. Ita *Concil. Lateranense sub Innocent. 3. c. 3.* & allegatur *Extravag. de Consanguinitate.*

Cognatio spiritualis est proximitas duarum personarum, ob concurrentiam ad sacramenti Regenerationis & Confirmationis administrationem & susceptionem ex Ecclesiæ instituto , quare sublatis antiquis Canonibus Concil: Trident: cognationem spiritualem, Matrimonium impedientem & contractum dirimentem , ad hæc capita reduxit: ad baptizantem sive confirmantem, & susceptores in Baptismo & confirmatione, (qui ad summum possunt esse unus & una) ex una parte, & ad Baptizatum & confirmatum, & Patrem ac Matrem baptizati, ex altera parte, ita clare Trident. sess. 24. de reformat. Matrim. c. 2. Ex quo infertur nullam cognationem nasci, inter susceptores ad invicem, neque in-

Tractatus Tertius,
ter Baptizantem ex una, & suscep^ttores ex
altera parte. Item: si Maritus solus susci-
piat, uxorem illius nullam contrahere co-
gnationem. Item: casu quo puer ex im-
minentⁱ periculo domi absque solemnita-
tibus fuerit baptizatus, ij qui solemnitatibus
in Ecclesia supplendis assistunt, nullam
contrahunt cognationem. Aliud est si Ba-
ptismus ex officio à parocho, electis & de-
signatis patrinis domi administretur, cum
aliqua solemnitate, qui enim tanquam
suscep^ttores, domi puerum de sacro fonte
levant ut patrini & tangunt, cognationem
spiritualem contrahunt, non vero ij qui in
Ecclesia solemnitatibus intersunt. Item:
non contrahitur cognatio spiritualis ab ijs
qui per procuratorem aliquem de sacro
fonte levant, quia vere baptism^o non assi-
stunt, nec puerum tangunt pro ut requirit
Concil. Trident. nec ipsi etiam procura-
tores censentur cognationem contrahere,
quia vere patrini non sunt. Demum solum
unus & una qui electi sunt in patrinos con-
trahit cognationem, quod si plures V.G.
quatuor in confuso tangant & suscipiant

parvu-

parvulum nec ullus eorum specialiter electus sit, nullus eorum contrahit cognationem.

Impedimentum cognationis legalis vocatur, quod singulari lege contrahitur in vim adoptionis legitimæ, quæ legibus Civilibus & Ecclesiasticis fit conformis, cognatio vero illa est inter adoptantem & adoptatum, inter uxorem adoptantis & adoptatum & uxorem ejus, & inter adoptatum, & filios naturales adoptantis, hæc solum inter illas est distinctio, quod prima & secunda perpetuo duret & sola morte definat, tertia autem extinguitur definente adoptione vel filio Naturali extra patriam potestate emancipato. vide: *Gratian: 30. q. 3. c. 1. per adoptionem, & cap. unic. de cognitione legali in decretalibus.*

II. IMPED: Affinitatis: affines dicuntur viri & uxoris cognati, ex eo dicti quod duæ cognationes diversæ ob copulam carnalem altera ad alterius fines accedat, ita ut cognati uxoris viro affines fiant & econtra. Affinitas vero talis ex legitimo thoro in quatuor gradibus collateralibus impedit

matrimonium contrahendum & dirimit contractum. Affinitas autem ex illico coitu in duobus tantum primis gradibus collateralibus impedit matrimonium & dirimit contractum. Ita Trident. sess. 24. de Reform. Matrim: c. 4. Sed collaterales ad invicem, & superiores in linea ascendenre cum collateralibus, nullam contrahit affinitatem, unde frater imo & Pater Caji, potest ducere sororem Cajæ in uxorem, ad solas enim personas quæ copulantur respectu collateralium pertinet affinitas.

12. IMPE: Publicæ honestatis oritur quando quis cum aliqua sponsalia valide contrahit, hoc enim ipso contrahit publicâ honestatem, ne possit absq; dispensatione contrahere matrimonium, cum consanguinea ejus intra primum gradum: unde publica honestas definiri potest, propinquitas orta ex sponsalibus de futuro, jure validis.

13. IMPEDIM: Disparitatis cultus est, quando contrahentes sunt diversæ & contrariæ Religionis, ut si Catholicus contrahat cum Pagana, Mahometana aut Judæa. Hiæc jure naturali & positivo semper prohibita

hibita fuerunt matrimonia fidelis cum infidelis tanquam illicita. Unde 2. Corinth. 6.
Nolite jugum ducere cum infidelibus (& infra) quae pars fidei cum infidelis. Et quamvis matrimonia cum infidelibus contracta per fideles, matrimonia vera essent, non fuerunt tamen indissolubilia, sed pro libitu altero ad fidem converso dissolvi potuerunt, verum jure Ecclesiastico antiquo, iuri divino & Apostolico conformi, disparitas cultus, facta est impedimentum matrimonium contrahendum impediens, & contractum dirimens, si nimis disparitas matrimonium antecedat, de hoc in Concil. Nicen. Gen. r. can. 67. non obscura fit mentio his verbis: *Quaecunq; mulier fidelis viro infideli nupserit, ipsa ex Ecclesia ejicatur: quae si penitentiam egerit, & eum virum quem habere non poterat, id est infidelem dimiserit, non est recipienda, nisi eo modo quo recipitur qui postquam fidem negavit, ad fidem revertitur, debet q; ipsa infidelem relinquare.* Si tamen post matrimonium legitimate contractum inter fideles, alter incidat in infidelitatem, hoc casu disparitas matrimonium

Tractatus Tertius,
 monium non dissolvit: quia sacramentum ra-
 tionem veram habet, & in eo valet lex Ev-
 angelica : *Quod Deus coniunxit homo
 non separet.*

Verum tamen matrimonium Catholici
 cum Hæretica & è contra, servatis legibus
 Christi & Ecclesiæ, etsi illicitum sit, est ta-
 men validum, quia tales à fundamento
 non sunt disparis cultus, cum uterque ba-
 ptizatus sit, uterque ejusdem fidei obliga-
 tione teneatur ex Baptismo, etsi quoad fa-
 ctum alter hæresis maculam incurrit. Hinc
 Notandum Matrimonia Hæreticorum,
 quæ juxta leges naturæ & divinas positivas
 ac civiles contrahuntur, contractus civiles
 esse, sacramenta tamen non esse, sequun-
 tur enim primævum matrimonium.

14. IMPED: Quod oritur ex absentia
 Parochi & Testium, initium sumpsit in
 Concil. Trident. vigore cuius præsentia
 Parochi & duorum vel trium testium, ad
 valorem matrimonij, ubi illud promulga-
 tum & receptum fuerit ita est necessaria, ut
 matrimonia absq; dicti Parochi & testium
 præsentia contracta sint penitus irrita ac
 inva-

invalida. Ita Concil: Trident: sess. 24. in
Decreto de Reform. Matrim.c.1. Qui aliter
quam præsente Parocho vel alio Sacerdote de
ipsius Parochi seu Ordinarij licentia, & duo-
bus vel tribus testibus, Matrimonium con-
trahere attentabant, eos S. Synodus ad sic con-
trahendum inhabiles reddit, & hujusmodi
contractus irritos & nullos esse decernit, pro-
ut eos præsenti decreto irritos facit & an-
nullat.

Articulus Quartus.

De Impedimentis Matrimonium impedientibus.

Impedimenta solum impedientia sequen-
tibus versibus comprehenduntur: Ec-
clesiæ vetitum, nec non tempus feriatum,
atque Cathechismus, sponsalia, jungito-
votum, impediunt fieri, permittunt facta
teneri.

2. Per Ecclesiæ vetitum intelligitur
prohibitio stricto præcepto Ecclesiastico
facta, unicum vero tale præceptum specia-
le est in usu, nimirum de denuntiationibus
tribus, ante Matrimonii celebrationem,

tribus festis continuis in Ecclesia coram populo inter missarum solemnia praemittendis, ad impedimenta dirimentia si quæ sint cognoscenda. Obligantur itaque sub peccato mortali, nubentes & Parochi prævidere, ut hujusmodi denuntiationes ante matrimonij contractum fiant, nisi in ijs per Episcopum vel eis delegatum dispensatum sit, qui tamen dispensare non possunt, nisi subsit justa causa, & nisi summarie ac moraliter examinatis examinandis constet, non subesse aliquod impedimentum.

3. Per tempus feriatum juxta Decretum Concilij Trident. sess. 24. de Reformat. Matrim. c. 10. intelligitur: tempus quod fluit ab Adventu usque in diem Epiphaniae & à fer. 4. Cinerum usque ad octayam Paschatis inclusive, illo vero tempore tantum prohibentur solemnitates nuptiarum, ut sunt: publicus & solemnis in Ecclesia contractus, solemnis benedictio, nuptiarum, deductio sponsi ad sponsæ domum, convivia nuptialia, unde qui absque solemnitate nuptiali, in privato coram Parocho & testibus istis temporibus contrahe-

R. Ed. 17

ret,

ret, non peccaret, à prædictis tamen sole-
mmitatibus, quæ in Nuptijs fiunt, sub pec-
cato mortali abstinentum est ex præcepto
Ecclesiæ.

4. Cum vero jam non oriatur impe-
dimentum ex assistentia ad Cathechismum
nullaque quantumcunq; imperfecta co-
gnatio, de hoc fusius non tractatur.

5. Impedimentum sponsaliorum in hoc
consistit quod qui sponsalia cum una con-
traxit, non possit absque peccato mortali
cum alia matrimonium contrahere, quam-
vis tamen si actu contrahat cum alia, Ma-
trimonium validum censeatur: si vero Ar-
rhæ sint datæ, aut copula vi promissionis
extorta, aut alia intervenerint pacta, qui ad
alias nuptias transit, tenetur ad restitutio-
nem omnium damnorum, dotationem
puellæ, tam in foro conscientiæ, quam in
foro externo. Licite autem & absq; pec-
cato sponsalia dissoluuntur. 1. Mutuo utri-
usque consensu & obligationis remissione.
2. Cum ante pubertatis annos utrimque
vel saltem altero impubere sunt contracta,
liberum est impuberi, ad annos puberta-
tis

tis pervenienti à sponsalibus resiliere. 3. Si alteruter Religionem ingrediatur, & in ea profiteatur, alias si egrediatur, & qui man-
sit in sacerdoto urgeat, tenetur ad sponsalia prius contracta. 4. Qui ordinem sacrum suscipit, sponsio enim sponsaliorum, sem-
per excipit melioris status electionem. 5. Si tempore persponsalia prae finito alter in longinquas Regiones proficiscatur, ob
diuturnam absentiam sponsalia dissoluun-
tur, & puella potest licite cum alio matri-
monium inire. 6. Ex notabili impedimen-
to vel mutatione in alterutro supervenien-
te, V. G. supervenit in alterutro morbus
contagiosus, Paralysis, Lepra, Impotentia,
deformitas corporis notabilis, paupertas
magna, oriuntur inter ipsos capitales ini-
micitiae. Denique si post sponsalia aliquid
deprehendatur, quod si prævisum fuisset
nullatenus sponsalia contracta fuissent.
7. Si post sponsalia alteruter cum alio for-
nicetur, tunc enim frangitur inchoata ma-
trimonii fides. 8. Si nascatur post sponsa-
lia aliquid impedimentum dirimens.

6. Votum simplex castitatis, vel reli-
gionem

gionem ingrediendi & in ea profitendi, aut ordinis sacri suscipiendi, impedit matrimonium contrahendum: ita ut si persona ejusmodi votis obligata matrimonium contrahat, peccet mortaliter, et si matrimonium validum sit. mulier vero voto simplici castitatis obligata, post matrimonium valide contractum, tenetur debitum marito illud exigenti reddere, non potest tamen sine peccato petere: Similiter vir voto simplici castitatis obligatus, potest & tenetur debitum uxori postulanti reddere, petere autem non potest. Notandum vero quod qui cum simplici castitatis voto matrimonium ineunt, mortuo conjuge tenentur iterum ad votum castitatis servandum, nec possit absque dispensatione sine novo peccato mortali, ad secundas nuptias procedere. Quia promissio Deo facta tota vita durat, nisi super ea dispensetur.

Articulus Quintus.

De Dispensationibus in impedimentis Matrimonium dirimentibus.

1. **N**on datur dispensatio, ne quidem à summo Pontifice in impedimen-

tis Matrimonii , jure divino Naturali aut positivo mere constitutis. Non enim potest dispensare ut nubat filia cum patre, filius cum matre, nups cum socero , gener cum socrum sua, quia nec directe nec indirecte nec permissive , pontifex potestatem habet in illa, quæ sunt juris divini absoluti, nec ab humana dispositione dependent soli enim Deo reservantur.

2. Romanus tamen Pontifex potest dispensare in omnibus impedimentis matrimonium dirimentibus, quæ Ecclesiastico jure constituta sunt, quia ipse est caput Ecclesiæ , in quo tota potestas quæ in Ecclesiam influit, tanquam in suo principio continetur. Unde Concil. Trident. sess. 24. de Reform: Matrim: c. 5. Supponit residere in Pontifice potestatem dispensandi usq; ad secundum gradum collateralem. In contrahendis (inquit) Matrimonij vel nulla omnino detur dispensatio vel raro, idq; ex causa & gratis concedatur , in secundo gradu nunquam dispensetur , nisi inter magnos Princeps. Illæ vero dicuntur justæ causæ dispensationum, quæ attentis circumstantiis morvent;

vent, aut aptæ sunt movere dispensatorem ad dispensandum. Mensurantur autem his fere circumstantiis: tempore, loco, personis, necessitate, utilitate, malo gravi vitādo.

3. Ex circumstantia temporis dispensandi causa proponitur, ut: Belli, pestis, ætatis, qualis est causa ista Romanis usitata, pro Oratrix excedente 24. annum: quod dicta Oratrix 24. annum excedens hactenus virum paris conditionis cui nubere posset, non invenit.

4. Ex circumstantia loci: quales sunt quæ propter loci angustiam continentur, quod cum dicta Oratrix, propter loci illius angustiam virum sibi non consanguineum, paris conditionis cui nubere possit, invenire nequeat.

Ex circumstantia personarum, ut quia Magnates, ad conservationem Hæreditatum in eadem cognatione, item: ob excellentiam meritorum in Ecclesiam personæ, pro qua petitur: item: ad conservationem familiæ in eodem sanguine alias periturae.

5. Ex necessitatis circumstantia, ut propter

pter inopiam, vel carentiam dotis ut cum dicta Oratrix indotata existat, & dictus Orator sic illam indotatam in uxorem ducere, ac usque ad quantitatem secundum Oratricis qualitatem competentem, ex integrō dotare intendat.

Ex circumstantia utilitatis: quando ex dispensatione in gradibus prohibitis ori-
retur, reconciliatio Hęreticorum cum Ec-
clesia, & propagatio Religionis.

6. Ex circumstantia mali gravioris vel
scandali evitandi, dispensationes justifi-
cantur, quæ ad infamiam evitandam con-
ceduntur, cognatis vel affinibus, qui car-
naliter se cognoverunt, secuta vel etiam
non secuta prole, aut muliere jam grava.
Ad valorem vero dispensationis debent al-
legari veræ vel reales causæ, & quæ in per-
sonis vere à parte rei subsistunt, unde si
causæ fictæ, falsæ, & à parte rei non existen-
tes, allegentur, quibus permotus Pontifex
dispensationem concedat, dispensatio est
penitus nulla, & matrimonium subsequens
invalidum.

7. Episcopus vero non potest Ordinaria

naria potestate dispensare in impedimentis Matrimonium dirimentibus, communiamen-
tamen usu & interpretatione juris, potest
Episcopus interdum in impedimentis ma-
trimonium dirimentibus dispensare, con-
currentibus maxime quatuor conditioni-
bus. 1. Si matrimonium jam sit (et si nulli-
ter) contractum. 2. Si impedimentum sit
occultum. 3. Si separatio fieri nequeat si-
ne gravi scandalo. 4. Si ob paupertatem,
vel alias causas justas, Romanus Pontifex
adiri non possit. Ita *Aloysius Riccius* in
praxi rerum quotid: Resol: 228. Fundamen-
tum ejus est, quod si romanus Pontifex ad-
iri potuisset, aut requisitus fuisset, his con-
currentibus circumstantiis, in dispensatio-
nem consensisset. Quod fundamentum
pertinet ad justam interpretationem legis,
communi etiam usu & consuetudine quæ
est juris declarativa, concessum est, Episco-
pis ad supplendos defectus in necessariis
casibus, qui non permittunt recursum ad
summum Pontificem, ne Ecclesia deesse
videatur in iis quæ ad communem fidelium
salutem & vitanda peccati pericula, & alia
mala requiri possunt.

8. Pe-

8. Petes i. an Episcopus nunquam pos-
sit dispensare in impedimento dirimente,
ante contractum matrimonium Resp. cum
Thoma Sanchez. lib. 2. de Matrim: D. 40.
. n. 7. Posse evenire casum quo possit, si in-
mirum duo simul concurrent, ut videlicet
sit periculum grave spiritualis salutis, vel
ingentis damni in moxa, si dispensatio dif-
ferreretur. Vel quod non patet facilis adi-
tus ad pontifice in vel alium delegatam po-
testatem habentem. V. G. est concubina-
rius qui concubinam habet, quæ ab aliis
putatur uxor, hic in extremis positus vult
ducere concubinam in uxorem, reperitur
tamen concubina in aliquo prohibito affi-
nitatis gradu occulto illi conjuncta, cæte-
rum proles habent, uxor legitima credi-
tur, gravissima infamia erit si deprehenda-
tur fuisse concubina & non uxor, mors in-
stat, in hoc casu Episcopus ante contra-
ctum matrimonium dispensare potest, &
valet axioma illud commune, Episcopum
in lege Pontifica & Conciliari dispensare
posse, quando est gravis aliqua necessitas,
nec patet aditus ad S. Sedem.

9. Pe-

9. Petes 2. Quid faciendum casu quo
impedimentum occultum, super quo Epi-
scopus ad effectum Matrimonii revalidan-
di in foro conscientiae dispensavit, postmo-
dum in foro externo manifestum fiat. Et in
hoc casu Episcopum debere declarare &
testari in genere, dispensationem sufficien-
ter obtentam esse, quia Matrimonium vir-
tute dispensationis ejus in foro consciencie
fuit validum & vere contractum, & eo
modo quo tunc fieri poterat, cum impedi-
mentum occultum erat, adeoque contra-
hentes in omni foro, in possessione sunt
Matrimonii validi. Non enim constat de
restricta potestate Episcopi in hoc casu,
cum potestas dispensandi illi ex communi
juris interpretatione adveniat, & aequales
casus non excludat. Maxime cum commu-
nis sententia sit, Episcopum in sua Diæcesi
posse, quidquid Pontifex in Ecclesia, etiam
quo ad reservata, quando salus animarum
periclitatur, vel grave scandalum imminet,
nec datur ad supremam sedem recursus.
Non obstante tamen hac declaratione ex-
terna, & testimonio Episcopi, summi Pon-
tificis

tificis dispensatione opus est: quia decla-
ratio Episcopi tantum est, ad removen-
dum scandalum, nec servit in foro externo
sensu litigioso, adeoque casu quo Matrimo-
nium in controversiam traheretur. S. Se-
des adiri debet & nova dispensatio pro il-
lo foro obtineri.

Articulus Sextus.

De finibus & bonis Matrimonij.

1. **D**uo sunt fines primarij Matrimo-
nij post primum peccatum Adami.
Prior: procreatio prolis, posterior: reme-
dium concupiscentiæ & illicitæ libidinis:
quamvis enim Matrimonium ante pecca-
tum ad solam procreationem prolium à
Deo fuerit institutum, benigna tamen Dei
dispositione factum est etiam in remediu-
libidinis, ita ut nullum peccatum sit nuptis,
etiam sola vitandæ libidinis causa carnali-
ter copulari. Patet 1. Cor. 7. v. 9. Propter
fornicationem autem unusquisq; suam uxori-
rem habeat & unaquaq; suum virum, me-
lius est enim nubere quam uri.

2. Secundarii vero fines Matrimonij
sunt,

sunt, educatio prolis, & communicatio mutua ac individua societatis. Quia illi dicuntur fines secundarij, qui ex primarijs ita nascuntur, ut primarij absque illis convenienter consistere non possint, sed procreatio prolis non potest convenienter consistere, absque educatione, neque remedium concupiscentiae, absque mutua & individua communis vitae societate, ergo illi sunt fines necessarij.

3. Sub educatione autem comprehenditur, non tantum sustentatio & nutrimentum corporale prolis, ad quam parentes obligantur, sed etiam ejus spiritualis institutio, etiam in ordine ad Deum & salutem. Ita *S. August. lib. de Virgin. c. 12.* Habeant (inquit) conjugia bonum suum, non quia filios procreant, sed quia honeste, quia licite, quia pudice, quia socialiter procreant, & procreat os pariter salubriter educant.

4. Sub communicatione mutua & individua societatis, comprehenditur communis communicatio operum, & mutui auxilij ad oeconomiam familiae, ac onerum Matrimonij supportationem, sine quibus

S

Matri-

Matrimonii operationes claudicant , nec
bene dirigi possunt. De quibus passim Scri-
pturæ *Tob. 10. ad Titum 2. ad Tim. 2.* & alibi.

5. Bona etiam Matrimonij potissimum
tria referuntur , quibus à Deo & natura
Matrimonium cohonestatum est , nimi-
rum: proles, fides, sacramentum, quæ qui-
dem vocantur bona, quia matrimonio jun-
ctis , quandam bonitatem conferunt , &
velut divinæ bonitatis Benedictiones re-
putantur , de quibus Apostolus *ad Tim. 2.*
Loquens de muliere: *Salvabitur* (inquit)
per filiorum generationem, si permanferit in
fide, & dilectione & sanctificatione cum so-
brietate. Ubi per filiorum generationem
bonum prolis , per fidem & dilectionem,
bonum fidei: per sanctificationem cum
sobrietate , bonum sacramenti intelligit,
quibus tanquam tribus bonis in matrimo-
nio suo, conjuges salvantur. Tria hæc pau-
cis complectitur. *S. August: lib. 9. de: ben:*
ad literam c. 7. Id quod bonum habent nu-
ptiæ, peccatum nunquam esse potest. Hoc au-
tem tripartitum est. Fides, proles, sacra-
mentum. In fide attenditur, ne præter vinculum
S. Ioh.

conju-

conjugale cum altero aut altera concumba-
tur: in prole, ut amanter suscipiatur, benigne
nutriatur, religiose educetur: in sacramen-
to autem ut Conjugium non separetur, &
dimissus aut dimissa, nec causa prolis alteri
conjugatur.

Articulus Septimus.

De obligationibus Conjugum de futuro.

1. **O**bligatio est: intentio recta: quæ
juxta fines matrimonij in tribus
consistit. Numirum: ut quis Matrimonium
contrahat, motivo Conjugalis & individuæ
societatis, ordinatæ ad propagationem
prolis, remedium vincendæ libidinis, mu-
tui auxiliij & consolationis, hi enim sunt fi-
nes matrimonium rectificantes.

2. Obligatio est: discreta Electio: de qua
Prov. 19. Domus (inquit sapiens) & divi-
tie dantur à parentibus, à Domino autem
proprie uxori prudens. Ex quo infertur, non
minorem requiri vigilantiam in uxore eli-
genda, quam in divitijs comparandis, quia
cum uxor sit donum Dei, precibus ac con-
sultationibus piis requirenda est. Quod

S 2

clare

clare docet horribilis ista sententia. S.
Chrysost: homil: i. in c. i. Matthei. Qui (in-
quit) secundum Deum accipit uxorem à
Deo provisam, in virtute generat filios: qui
autem accipiunt uxores ex provisione Dia-
boli, id est non Religionis intuitu, nec fideles
in infirmitate generant filios, nec prævalen-
tes unquam fortes, nisi in malo.

3. Obligatio est: fidelitas sincera: quæ
consistit in sponsalibus, contractibus ma-
trimoniorum, fideli & casta conversatione
desponsandorum, tenentur enim in his o-
mnibus servare fidelitatem, illis actioni-
bus ex natura rei & legis annexam.

4. Est præparatio congrua animæ, & sa-
crarum cæremoniarum observantia, quæ
obligatio. Patet ex Concil: Trident: sess: 24.
de Reform: Matrim: cap. 3. Postremo (ait)
S. Synodus conjuges hortatur, ut antequam
contrahunt vel saltem triduo ante Matri-
monij consummationem, sua peccata diligen-
ter confiteantur & ad SS. Eucharistie sacra-
mentum pie accedant: Si quo provicia alijs
ultra predictas, laudabilibus consuetudi-
nibus & Cæremonijs hac in re utantur,

S. *oas omnino retineri S. Synodus uehementer optat.*
(iii.)

Articulus Octavus.

*De obligationibus Matrimonium con-
comitantibus.*

Obligatio est: ut sint liberi ab omni
impedimento , tam dirimente
quam impeditente. 2. Obligatio est: ut in
copulatione adsit Parochus & ad minus
duo testes. 3. Denique obligatio est : ut
ad sit verus mutuus consensus, signis exter-
nis legitime utrumque datus.

Articulus Nonus.

*De obligationibus Matrimonium
consequentibus.*

Obligatio est: debiti Conjugalis redditio: cuius obligatio tanta est, ut absque mortali peccato non possit alter alteri negare, nisi justa causa excusat. Fundatur vero in contractu Justitiae, quia ut ait Apostol: ad Corinth. 7. Mulier potestatem sui corporis non habet, sed vir. Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet,

Tractatus Tertius,
sed uxor. Unde & ante intulerat : uxori
vir debitum reddat, similiter autem & uxor
viro. Et ostendens obligationem vers. 3.
superaddit: *Nolite fraudare invicem nisi ex
consensu ad tempus, ut vacatis orationi: &
iterum revertimini in id ipsum, ne tentet
vos Sathanas propter incontinentiam ve-
stram.*

Porro obligatio hęc suis terminis coar-
tatur, nimirum : 1. Ut honeste petatur,
non enim tenetur Conjugi inhoneste vel
inhonesta petenti, debitum reddere, sed
tantum inter terminos honestatis Conju-
galis, neque enim tenetur uxor reddere
debitum accedenti præpostere, & contra
ordinarium modum, cum periculo effu-
sionis feminis, vel alterius inordinatae libi-
dinis. Eadem ratione non tenetur redde-
re debitum, si publice vel in loco inhone-
sto petatur. 2. Ut juste petatur: tunc au-
tem injuste censetur peti, quando cum ma-
gno detimento alterutrius Conjugis, aut
tertii petitur, aut in irreverentiam Dei.
Hinc Conjux infirmus non tenetur pe-
tenti debitum reddere. Item si ex impetu
vehe-

vehementi timeat probabiliter infirmitatem. Item si ex nimio uteri tumore timeat abortum. Item tempore menstruorum: si probabiliter timeat in prole monstruositatem. Item si petatur in loco sacro, non enim ibi tenetur alteruter reddere, ob reverentiam Dei & loci sanctitatem, qui moraliter illis actibus profanatur. 3. Requiritur ut oportune petatur: opportunitas autem mensuranda est loco, tempore, circumstantiis, unde non tenetur reddere in cubiculo ubi proles dormiunt. Quo ad tempus, non judicatur opportunum quando orationi vacandum, specialiter nocte praecedente Diem quo sacra communio sumenda est.

2. Obligatio est: fides intemerata Thor i Conjugalis, ad quam mutua obligatione conjuges tenentur, & consistit in hoc, ut nec affectu, nec facto, in alterius copulam unquam consentiant. Unde est illud ad Rom. 7. Nam quae sub viro est mulier vivente viro alligata est legi: igitur. Subdit: vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro.

3. Obligatio est: dilectio Conjugum, & societas indivisa, quam urgent scripturæ: & quidem ad Ephes. 5. *Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam.* Iterum: *Ita & viri debent diligere uxores suas sicut corpora sua, qui uxorem suam dilit se ipsum dilit, & alibi saepius:* Debet vero amor ille esse beneficus, castus, honorabilis ac intimus, & velut primitivus, Porro quæ dicta sunt de amore viri ad uxorem, è converso debent aptari amoris uxorum ad Maritos, unde monet Apostol: ad Tit. 2. *Anus similiter in habitu sancto &c.* (inquit) prudentiam doceant adolescentulas ut viros suos diligant. Notandum vero quod interdum licita sit separatio individualis societatis vitæ, quo ad Thorum duntaxat, & habitationem, non vero quoad vinculum, hujus cause variæ referuntur in jure communi: V. G. ob alterutrius adulterium, nimiam saevitiam, periculum aliquis mali, gravis infamia, peccati mortali, mortis, item ex mera voluntate & consensu mutuo. Si absit periculum peccati, vel gravis detrimenti, possunt libere Con-
juges

judges non solum ad tempus, sed etiam in
perpetuum ab invicem separari.

Articulus Decimus.

De Mariti Personalibus obligationibus respectu uxoris.

I. **T**Res potissimum sunt mariti ad uxorem personales obligationes, obligatur enim ad sustentationem, instructionem, protectionem, jure sustentationis obligatur uxori, ad congruum alimen-
tum & vestimentum, etiamsi dotem non attulerit, hoc enim ipso, quo indotatam ducit, censetur in suum onus eam ducere, & onus alendi in se suscipere; ita etiam ut indotatam, cogatur maritus rixosus extra domum alere. Sub instructione, ad quam tenetur maritus uxori, continentur omnia quæ pertinent ad uxorius & familiæ con-
gruam directionem, tam in moribus, quam in aliis, quia est caput uxorius & familiæ, unde tenetur illam instruere, vel curare instrui in ijs, quæ sunt salutis & bonorum morum, ac muneris veræ matris familias: tenetur corrigere ubi errat, insuper tene-

tur uxoris infirmitates & fragilitates tolerare. Ad instructionem pariter pertinet, potestas virorum in vota & exercitia pietatis suarum uxorum, ut in jejunia, orationes, neque enim vota uxorum rata sunt, nisi de consensu maritorum, qui ea pro suo benep̄ placito irritare possunt, ut patet Numer. 30. v. 14. Si voverit & juramento se constriixerit, ut per jejunium vel ceterarum rerum abstinentiam, affligat animam suam, in arbitrio viri erit ut faciat vel non faciat.

2. Uxor etiam inscio marito potest vovere licite & valide, quidquid est extra materiam, leges, officia, exercitia Matrimonij, & familiæ, quia in his est arbitra suæ voluntatis. Unde potest vovere nonnulla quæ sunt meræ libertatis & salutis. Ut aliqua pia exercitia pietatis, Eleemosynas ex propriis & paraphernalibus bonis, in quantum tamen non spectant ullo modo ad Matrimonii onera & jura.

3. Potest vovere castitatem defuncto duntaxat marito servandam, & alia hujusmodi: & ita de votis Mariti proportionater philosophandum est: neque enim Maritus

rit⁹ potest, non cōsentiente uxore, aliquid
vovere, quod Matrimonio & officijs ejus
ac familiæ interesse aliquod alicujus mo-
menti inferat. Dicitur (*proportionate*) in
aliquibus enim maritus circa Uxorem &
familiam , aliqua potestate & auctoritate
potitur, qua non gaudet Uxor in Maritum.
Sub protectione comprehenditur omnis
propulsatio injuriæ, sive in bonis corporis
& naturæ, sive in bonis fortunæ, & in fama
achonore, & hæc est potior pars dilectio-
nis, quam maritus ad uxorem exercere
tenetur.

Articulus Undecimus.

De obligationibus Vxoris ad Maritum.

UXOR marito tenetur ad obedientiam
& subjectionem : ad reverentiam &
honorem, ad liberorum & familiæ conser-
vationem. De obedientia & honore pa-
tet ex textu 1. Pet. 3. ubi sic : *Subjectæ estote*
proprijs viris, sicut Sara obediebat Abraham,
Dominum illum vocans : liberorum vero
& familiæ conservatio, in hoc consistit, ut
Administrationem communem intra fa-

Tractatus Tertius,
miliam suscipiat, prolibus necessaria sub-
ministrer, eorum curam singularem gerat,
sit adjutorium & consolatio mariti.

Articulus Duodecimus.

De peccatis Conjugum de futuro.

1. **P**eccant mortaliter qui ob meram li-
bidinem & voluptates carnis Matri-
monium contrahunt de quibus *Tob. 6. An-*
gelus Raphael. *Hi* (inquit) *qui Conjugum*
ita suscipiunt, ut Deum à se & à sua mente
excludant & suæ libidini ita vacent, sicut
equus & mulus quibus non est intellectus,
habet Daemonium potestatem super eos.

2. Peccant qui uxorem ducunt ob divitias,
honores, fastum & ob alios aliquos fines
matrimonium ineunt, qui tamen si primari-
us finis non excludatur, venialiter tan-
tum peccant, non raro tamen gravissimo-
rum peccatorum fundamenta jaciunt, bre-
vi enim displicet uxor, declinatur vel in a-
dulteria, vel in rixas continuas, contem-
ptus, tædia mutuæ societatis.

3. Peccant qui absque ulla salutari consul-
tatione uxores ducunt.

4. Pec-

4. Peccant qui absque consensu & consilio parentum nubunt, non tantum contra obedientiam, sed etiam contra discretio-
nis virtutem, à principio enim instinctu
divino à parentibus matrimonia dirige-
bantur.
5. Peccant mortaliter qui sponsalia legiti-
me contracta, injuste vel illegitime dere-
linquunt.
6. Peccant qui sponsalia mala fide contra-
hunc, absque intentione contrahendi aut
nubendi. Quia in re gravi proximum
decipiunt.
7. Peccant qui in contractibus antenu-
ptialibus se invicem in materia gravi deci-
piunt, allegando bona quæ non habent, vel
si habent, allegando cum intentione non
servandi, in quibus aliquando Parentes, a-
liquando contrahentes se invicem, ali-
quando procuratores decipiunt vel de-
cipiuntur.
8. Peccant qui sponsalia contraxerunt, si
se invicem impudice tangant, aut carnali-
ter cognoscant, et si enim honesta amoris
oscula, & amplexus ratione futuri matri-
monij

Tractatus Tertius,
monij inter sponsas urbane permittantur,
impudicitiae tamen nullae permitte possunt,
cum in mutua corpora nullam adhuc ha-
beant potestatem.

9. Peccant mortaliter, qui cum peccato
mortali ad contrahendum Matrimonium
accedunt, unde ad contritionem veram vel
confessionem actualis obligantur ante
copulationem.

10. Peccant mortaliter qui absque dispen-
satione legitima denuntiationes omittunt,
vel ante illas factas contrahunt.

Articulus Tertiusdecimus.

De peccatis Matrimonium conco- mitantibus.

1. **P**eccant mortaliter qui aliquo impe-
dimento irretiti Matrimonium con-
trahunt, & si impedimentum sit dirimens,
præter peccatum mortale, matrimonium
est invalidum.

2. Peccant mortaliter, qui scienter cum
impedimento dirimente contraxerunt,
quoties carnaliter ante impedimenti di-
spensationem se invicem cognoscunt, aut
tactus

tactus inter solutos illicitos ad invicem
habent.

3. Peccant mortaliter, qui cum impedimento impediente contrahunt, quoties debitum exigunt, (non impetrata dispensatione) quamvis illud reddere possint.

4. Peccant mortaliter qui absq; vero consensu, vel absque signis externis legitimis, vel Parochi & duorum ad minus testium præsentia contraxerunt, idque toties quoties postea prætextu Matrimonij se invicem carnaliter cognoscunt, vel tactus solutis personis illicitos ad invicem habent.

Articulus Quartusdecimus.

De peccatis Matrimonium consequentibus.

1. **P**eccant mortaliter, Conjuges qui absque justa causa sibi invicem debitum negant, etiam extra periculum incontinentiæ.

2. Peccant mortaliter, qui ubi est proximum periculum incontinentiæ in alterutro, debitum non reddunt, vel uxores quæ non patiuntur,

3. Pec-

3. Peccant mortaliter viri, qui sequentes passionem desiderij, absque delectu circumstantiarum loci aut temporis, debitum urgent, aut in concubitu periculo abortus, gravis infirmitatis, probris monstruosæ se exponunt.

4. Peccant mortaliter qui in materia gravi, extra terminos honestatis, justitiae & oportunitatis debitum exigunt & urgent;

5. Peccant mortaliter qui committunt adulterium, sive sit mentale, voluntatis ac pravi desiderij interni, sive sit externum in alieno concubitu ac actibus & tactibus impudicis, adulterium concomitantibus vel antecedentibus, non enim solum adulterium aetate externo consummatum, prohibitum est, sed etiam quod oculo libidinoso & affectu interno cominititur.

6. Peccant mortaliter viri, qui dure, asperre, crudeliter tractant uxores suas, ac si essent ancillæ, cum sint sociæ & consortes.

7. Peccant qui uxoribus tantum utuntur ad libidinem exsatiandam, absque affectu vero maritali.

8. Peccant qui uxores percutiunt, domo ejiciunt,

ejiciunt, opprobrio afficiunt, illis ex prava
suspitione vel zelotypia crima impo-
nunt. Item: qui vexationibus & morosita-
tibus illas in desperationem, Melancholias
graves præcipitant.

9. Uxores notabiliter peccare dignoscun-
tur, quæ suos Maritos morositate sua, im-
portunis querelis, improperijs & molestijs
afficiunt, rixas perpetuas aut suscitando
aut fovendo. Similiter quæ sua zelotypia
viris suis causa sunt gravis tristitiae & affli-
ctionis, interdum etiam multorum pecca-
torum, ebrietatum & dissolutionum.

10. Quamdiu in rixis, turbatione mutua,
& familiæ perseverant, nec sibi mutuo re-
conciliantur, sunt in continuo statu pecca-
ti mortalis & damnationis.

11. Omnis separatio quo ad thorum &
habitationem, absq; legitima causa facta,
est peccatum mortale in conjugi, qui nul-
litatis causæ conscius illam procuravit.

Arti-

Articulus Quintusdecimus.

De peccatis personalibus Mariti.

1. **P**eccant mariti mortaliter qui uxorib⁹ alimenta & vestimenta juxta statum suum & familiæ denegant, eas confundunt & velut derelictas habent.
2. Peccant mortaliter, qui eis tempore infirmitatis non assistunt, vel non curant ut congruis medicinis eis succurratur.
3. Peccant mortaliter qui uxores suas vel non instruunt, nec instrui curant in necessarijs, & qui eas in malis moribus, affectibus, jurgijs fovent, & non reprehendunt.
4. Qui eas diffamāt, calumniantur, earum honorem non defendunt, porro viri advertere debent mulieres esse infirmæ rationis, naturæ fragilis, in passionibus bonis malisve ferventiores, suarum passionum prodigas, suorum conceptuum pertinaces, ideo debent prudenter illis compati, illas juvare, illis bene consulere, illas opportune reprehendere, & ubi est pertinacia etiam durius arguere.

Arti-

Articulus Sextusdecimus.

De peccatis personalibus Vxoris.

1. **P**eccant mortaliter mulieres , odio, aversione , tædio habentes viros suos , eos affligentes morositatibus suis.
2. Peccant mortaliter inobedientes, Rixosæ,garrulæ, domum & familiam perturbantes , nullum viris suis honorem exhibentes, male de illis loquentes.
3. Peccant zelotypia gravi & injusta, viris suis molestæ,in quibus sibi perpetuam damnationem acquirunt, ob injuriam & calumnias maritis & aliis illatas , de quibus vix pænitere possunt.
4. Peccat mortaliter mulier quæ liberos rum & domesticorum suorum curam non gerit , nec rei familiaris ullam sollicitudinem habet , sed substantiam & bona familiæ & mariti dissipat. De reliquis gravissimis mulierum excessibus videat lector Cap. 25. Eccles. à §. 17.usque ad finem, & Cap. 26. §. 6.&c.

TITV-

TITVLVS XVI.

De Statu Viduarum.

Articulus Primus.

*De peccatis Viduarum quæ ad secundum
Matrimonium aspirant.*

Hic de Viduarum dignitate, Dei erga illas singulari protectione, & illarum piorum operum merito dicendum foret, sed quia illa magis Concionatores & Encomiastas concernunt, solum hic peccata Viduarum allegabimus.

1. Itaque peccant delectatione, verbo vel opere, in materia carnis sicut soluta quælibet.

2. Peccant in cura filiorum & familiæ, sicut & alia matres familias, si dilapident bona & hæreditatem filiorum, si eorum curam debitam non gerant, si sint illis causa ruine, sive in anima, sive in temporalibus.

3. Peccant peccato scandali si conversatio-nes scandalosas admittat, aut ea faciant exterius, quæ honestas Matronas & veras Vi-duas non decent.

4. Pec-

4. Peccant si justam voluntatem Maritorum defunctorum non curent exequi , ut in sepulturis , funeribus , pijs operibus ad quæ se obligarunt.

Potes an liceat Viduæ delectari de re cogitata copula cum marito defuncto? Vel copula illa, ipsi objicitur ut præterita, & intra terminos Matrimonij honesta & licita, absque præsenti motu carnis , cum sola mentali complacentia , tunc tanquam de objecto licito potest Vidua delectari, modo periculo præsentis carnalis delectationis se non exponat. Si vero consideretur copula ut præterita , delectatio tamen ex ista consideratione in carne & voluntate oriens , sic afficit , quasi copula esset præsens, tunc nullatenus licet, sed Vidua peccatum mortale committit, quia illa delectatio vestitur conditionibus & circumstantijs, vere in mente & voluntate præsentibus , quæ ut præsentes carnem afficiunt, & delectationem ut nunc illicitam causant.

Aiti-

Articulus Secundus.

*De peccatis Viduarum quæ voto se ad
cælibatum obligarunt.*

1. Peccant tales Viduæ peccato sacrilegij
in omnibus transgressionibus casti-
tatis , sicut & aliæ castitatem voentes, te-
nenturq; circumstantiam illam confiteri.
2. Peccant Viduæ illæ voto adstrictæ , si
vestimentorum vanitate , conversationi-
bus varijs , convivijs & commissationi-
bus , se oblectent , quia etsi votum cæli-
batus ista absolute & per se non prohi-
beat , status tamen Vidualis , qui ex com-
muni hominum judicio modestiam , so-
brietatem , vitam exemplarem & pietatis
officia complectitur , hæc excludit : sive
propter periculum incontinentiæ in se vel
in alijs , sive propter scandalum , con-
gruitque illis singulariter illud 1. Tim. 5.
versic. 6. Quæ in delitijs est vivens mor-
tua est.

TITV-

TITVLVS XVII.

*De obligatione Filiorum erga
Parentes.*

Articulus Primus,

*De obligatione amoris Filiorum erga
Parentes & peccatis eorum.*

1. **I**N tribus consistit obligatio amoris erga Parentes, nimirum. 1. Nec malum eis velle, nec malum inferre. 2. Positive amare & bene velle ac benefacere. 3. Omnem injuriam & nocumentum (quantum in nobis est) ab eis propulsare.

2. Quicunque igitur odio malevolentia, vel gravi indignatione animi fertur in Parentes: aut aliquo opere externo odiū, malevolentiam, vel indignationem gravem ostendit, peccat mortaliter. Id scripturæ passim indicant de maledictionibus, contemptu, derelictione, pravo affectu, afflictionibus, contristationibus parentum. Exod. 21. *Qui maledixerit patris suo vel matris, morte moriatur.* Deut. 27. *Maledictus qui*

qui non honorat Patrem suum & Matrem
& dicet omnis populus Amen. Proverb. 19.
Oculum qui subsannat Patrem & qui despici-
cit partum Matris sue, effodiant eum corvi
de torrentibus, & comedant eum filii aqui-
lae , ex quibus manifestum est peccare
mortaliter.

1. Qui odio & pravo affectu in parentes
feruntur , eis mortem optantes vel de eo-
rum notabili damno gaudentes.
2. Qui maledictionibus, contumelijs, ver-
bis injuriosis eos afficiunt.
3. Qui quovis modo alloquio duro , vel
toruo aspectu eos affligunt.
4. Qui insuis domibus eos recipere no-
lunt , nisi forte alibi æ qualiter eis provi-
deant, sicut in propria domo: alias enim re-
putarentur eos affligere & velut à sua do-
mo fugare.
5. Qui contemnunt, subsannant, irrident,
vel eos quovis modo despiciunt,

Petes : quæ censatur materia gravis in
odio, malevolentia, aut injuria erga Paren-
tes : R. Quæ censetur gravis in proximum,
est summa, si sit in Parentem, ratio desun i-

tur

tur ex parte gradus obligationis : Si enim teste S. Joanne 1. Cap. 3. Omnis qui odit fratrem suum homicida est, consequenter, qui odit Patrem suum parricida est, adeoq; ad peccatum mortale hic non de requiriatur tanta materia quam alias.

3. Deinde filij tenentur positive amare Parentes, & ubi ratio postulat illis benefacere alimenta præbendo, in infirmitate & occurrentibus casibus, illis per se vel per alium assistendo, opitulando, à carceribus liberando, &c. & qui in istis notabiliter sua culpa deficit, peccat mortaliter. Expenditur vero debitum filiorum in parentes. 1. Æstimatione ipsius esse. 2. Æstimatione sollicitudinum, laborum, periculorum, quæ parentes sustinent in filijs a-lendis & conservâdis. 3. Ob educationem, quia ab ipsis educatio & institutio filiorum pendet. Etiam illud naturæ ciconiarum instinctu probatur, quæ parentes in senectute alunt, conservant, & ubi opus est, deportant.

4. Petes : an possit filius intrare Religionem parentibus in necessitate relictis.

T

Rx. Fi-

B. Filium Religionem intrare non posse, minus profiteri, si parentes habeat in necessitate actuali gravi constitutos, & speret illis se posse in aliquo opitulari, quia obligatio juris divini naturalis, antecedit omne opus voluntarium & liberum quantumcunque sanctum.

5. Petes 2. quid agendum illi qui vovit Religionem, aut de facto Religionem est professus: B. durante vita & necessitate Parentum, si nondum est professus, non potest licite profiteri: nec Religionem ingredi, si nondum est ingressus: si vero sit professus, potest egredi ad subveniendum parentibus, mortuis autem parentibus aut finita necessitate, tenetur ad munia Religionis ac voti onera & ad ordinem unde egressus regredi, quia obligatio votorum semper perseveravit.

Articulus Secundus.

De obedientia Filiorum erga Parentes.

1. **I**n omnibus justis, licitis & honestis, ad curam Paternam pertinentibus, tenentur filii parentibus obedire. Ita Apostol:

stol: ad Coloss: 3. *Filijs obedite Parentibus per omnia, hoc enim placitum est in Domino.* Dicitur (*in omnibus justis, licitis & honestis*) non enim licet filijs obedire in ijs, quæ aperte sunt injusta, aut quovis modo illicita aut inhonestata, in simili enim casu valet illud axioma *Actor. s. Obedire oportet Deo magis quam hominibus.* Dicitur (*ad curam paternam pertinentibus*) sunt enim quædām, in quib⁹ est filius sui arbitrij, ut in eligendo statu, studiis honestis, invocationibus salutaribus, in his enim est filiorum diuinæ dispositiones & ductum attendere.

2. Tenentur vero obedire. 1. In ijs quæ sunt de necessitate salutis & observantia mandatorum Dei. 2. In Materia morum & honestatis ut si parentes prohibeant aliquam conversationem inhonestam, ingressum alicujus domus periculosæ, exercitium alicujus artis quæ infamis est, si non obediatur filius & res sit satis gravis, peccat mortaliter. 3. Quæ pertinent ad familiæ administrationem & disciplinam domesticam tam in temporalibus quam spiritualibus, & quidem quo ad temporalia: ut certo

tempore filij domum redeant, ut non vagentur, ut de domesticis rebus non disponant alienando, donando, vendendo, item ut in domum aliquas personas non admittant, &c. Quo ad spiritualia: ut certo tempore orent, Missas audiant, opera misericordiæ faciant, pietatis rudimenta addiscant.

3. Omnis inobedientia, rebellio, contumacia, contra expressa mandata parentum, est peccatum mortale. Id colligitur ex gravissimo supplicio, quo filii inobedientes apud Hæbreos plectebantur, uti legitur Deut. 21. v. 14. *Si genuerit homo filium contumacem & prateruum, qui non audiat Patris aut Matris imperium, & coercitus obedire contemperit, apprehendent eum & ducent ad seniores civitatis, dicentque adeo: Filius noster iste protervus & contumax est. Monita nostra audire contemnit, commissationibus vacat & luxuriæ atque convivij: lapidibus eum obruet populus civitatis & morietur, ut auferatis malum de medio vestri.*

Arti-

end

- f. 1

Articulus Tertius.

De Reverentia Filiorum ad Parentes.

I. **T**ribus fere modis peccari solet contra Reverentiam debitam Parentibus: Nimirum verbo, signo, defectu, verbis irreverentiam faciunt, qui durioribus, asperis, inurbanis, risibus, jocis, eos sive in præsentia sive foris excipiunt. Signo irreverentiam faciunt, qui subsannationibus, gesticulationibus, simulatis actibus, illis illudunt etiam absentibus. Defectu censentur irreverentiam causare: qui eis juxta patriæ morem non assurgunt, locum non cedunt, caput non discooperiunt, non salutant, &c.

TITVLVS XVIII.

De Tutoribus.

Articulus Primus.

*Qui dicantur Tutores & quinam
esse possint.*

I. **T**utores dicuntur, qui impuberis aut Orphanos parentibus deficientibus,

T 3 bus,

bus, juxta legum dispositionem, tam in personis, quam in bonis tuentur, assignantur vero triplices: Primi dicuntur testamentarij, qui per testamentum paternum prolibus constituti sunt. Secundi vocantur legitimi: qui testamento deficiente legum decreto sunt assignati, & hi ordinariē propinquiores in parentela sunt. Tertij appellantur dativi: qui ubi nec per testamentum nec per lege in provisum est, ut pote quod inter consanguineos nullus idoneus reperiatur, à Judice singulariter pupillis impuuberibus dantur. Alij etiam sunt tutores Honorarij: qui realiter tutelam non gerunt, sed ratione honoris & potestatis, gerentibus tutelam realem adjuncti sunt, ut sua auctoritate illos in defensione adjuvent, & tutoribus aetualibus, eorumque actionibus circa pupilos invigilent.

2. Nullus vero potest esse tutor qui quovis defectu tutelam administrare & per se gerere non potest. Quia ille censetur ad finem, ad quem tutela instituta est, ineptus: unde infirmitate continua laborantes,

in-
an-
ta-
im-
an-
le-
rie-
rtij
sta-
ut-
llus
iter
lam-
ite-
po-
un-
gio-
eo-
vi-
qui
&
se-
est,
io-
es,
rantes, surdi, cæci, muti, & hujusmodi à tu-
tela repelluntur. Hac etiam ratione mu-
lier à tutela repellitur; excipiuntur tamen
Mater & avia, si per testamentum consti-
tuantur, vel expressæ tutrices & admini-
stratrices relinquantur: quia ob affectum
& amorem ad filios, illorum curam singu-
larem habituræ creduntur. Mater vero ad
secundas nuptias procedens tenetur tute-
lam deferere, quam tum in detrimentum
pupillorum habitura præsumitur. Omnes
autem qui ad tutelam fideliter admini-
strandam sunt capaces non tantum tutores
esse possunt, sed etiam tutelari, secundum
præscripta legum sibi demandata assu-
mere tenentur, quia in bonum publicum
ita constitutum est.

Articulus Secundus.

De obligationibus Tutorum.

1. **T**enentur pupillorum moribus & in-
structioni invigilare, sunt enim pu-
pilli illorum curæ dati, ut tanquam Patres
sive patris loco illorum curam gerant.

2. Tenentur fideliter & paterno affectu

res pupillorum administrare , in eorum majorem utilitatem , unde Plato: lib. II. de legibus: Qui fæminam (inquit) marem ve tutatur, & qui de legum custodibus (id est de Magistratibus) Tutorem observare constitutus est , non minus orphanos, quam si genuisset eos, diligat: neque res illorum pejus, quam suas, gubernet, imo et iam affectu animi melius.

3. Tenentur tutores defendere pupilos ab omni injuria tam personæ quam bonorum temporalium, imo & famæ.

4. Debent & possunt tutores pupillos, ubi deficiunt, corrigere, & debitissimis modis & pænis, à malis coercere, ac delinquentes ad meliorem frugem reducere. E contra, pupilli tenentur tutori obedire ut parenti, nec acta pupillorum subsistunt sine consensu tutorum.

Petes: Quando tutela finiatur, Rx. Illam finiri varijs modis. 1. Adveniente pubertate, quæ in fæmina 12. in masculo 14. anno advenit, ille vero qui tutoris officium usq; ad pubertatem egit, usque ad 25. annum curatoriis officium, juxta leges nationum,

exer-

exercet. 2. Finitur morte naturali tutorum vel pupillorum. 3. Civili etiam morte finitur tutela, si enim tutor fiat Religiosus, professione emissus, non est amplius tutelæ capax: si pupillus etiam ad Religionem transit, à professione sua tam à tutoris quam curatoris subjectione liberatur. Item tutela finitur, si tutor suspectus, aut inventus pupillo inutilis vel damnosus à tutela removeatur.

Articulus Tertius.

De Peccatis Tutorum.

1. **P**eceant si ex defectu affectus vel vigiliantiæ Tutorum, pupillus ad malos mores declinet, aut malis conversationibus se polluat.

2. Qui odio vel malevolentia pupillos sibi commissos persequuntur, & eos in aliqua incommoda vel mala præcipitant, aut alias sua duritia & animi crudelitate ipsis lapsus occasionem dant, vel male tractant.

3. Qui in bonorum administratione negligentes sunt, nec ullenius pupillorum

T 5 utili-

utilitatem querunt, unde si quid damni pupillo ex culpa tutoris eveniat, tutor obligatur ad restitutionem.

4. Peccant gravissime & ad restitutio-
nem tenentur, qui bona pupillorum suam
velut prædam faciunt, ea in suum com-
modum convertunt, ex eis sibi suisque
fructificant, ea distrahunt & interdum
ad usuras tradunt, vel periculose negotia-
tioni exponunt.

5. Peccant pupilli mortaliter, peccatis in-
obedientiæ, rebellionis, irreverentiæ, di-
stractione bonorum absque consensu
tutorum, deniq; in omnibus in quibus filij
contra parentes peccare solent.

TITVLVS XIX.

*De Mercatura et Peccatis ac
injustitijs in illa committi solitis.*

Articulus Primus.

Quid & quotplex sit Mercatura.

1. **M**ercatura sive negotiatio descri-
bi potest, quod sit: Contractus
justitiæ, quo Dominum, vel usus alicujus
rei,

Q T

rei, ex pacto transfertur in alterum, ad aliquam utilitatem contrahentium, vel reipublicæ & communis: hujus vero variæ sunt species, aut enim per contractum, mediante pecunia, res ipsa in se transfertur, & est emptio & venditio: aut res pro re transfertur, & est permutatio: aut Dominium transfertur, mediantibus obligacionibus nonnullis appositis, vel secundum tempora modificatis, & est Census vel Emphyteufis, aut usus tantum rei transfertur, & est elocatio, inutuum, impignoratio contractus societatis.

2. Mercatura vero & negotiatio per se, absque culpa & injustitia exerceri potest, imo necessario exercetur, pro conservatione vitæ & societatis humanæ. Quia Deus hoc vinculo voluit homines ad invicem colligare, ut unus alterius indigeret administriculo, & una Regio aliquibus gauderet, quibus alia indiget, ut sic permutuam negotiationem sibi invicem succurrentes, societate & affectu in vicem jungentur. Dicitur (*per se*) id est ex natura sua: quod enim mercatura & negotiatio facta

sit mala , id avaritiæ & malitiæ hominum imputandum est, quæ fraudibus, dolis, usurris, in justitijs, illam deturpavit.

3. Porro respectu rei quæ venditur, sequentes in justitiæ committuntur. 1. Si res defectuosa & in sua qualitate diminuta, vendatur pro re integra & in sua qualitate perfecta, maxime si defectus intuenti non appareat , eo quod ipse qualitatis rei sit ignarus. Tenetur enim ille qui vendit, defectum rei aperire , unde monet Apostol.

1. *Thessal. 4. Ne quis circumveniat in negotio fratrem suum, quoniam vindicēt Dominus.* 2. Si emptore explicante finem suæ emptionis , illi vendis rem quam scis omninoinneptam ad illum finem. 3. Si venditor vendat rem non suam. 4. Si vendit rem jure prohibitam vel cimenti damnosam. 5. Si vendit rem non vendibilem: ut rem spiritualem vel spirituali annexam, est enim Simonia.

4. Respectu pretij etiam in justitiæ committuntur , si taxatum jure pretium excedatur: ex parte vendentis in juste agitur. 1. Si mendacijs perniciosis persuadeat rem

rem esse bonam & integrum quæ mala est, aut pluris valere quam valet. 2. Siperjurium addat. 3. Huc referenda sunt Monopolia & paœta mercatorum, qui frumentum, vinum & alia impie coacervant, & vendere nolunt, ut annonæ caritatem cauſantes, vendant inordinato pretio, ex quādam coactione invalescentis penuriæ, de his *S. Chrysost: orat: in kalendis habita: maledictus qui rei frumentariae caritatem auget.* 4. Si mensuram suam fraudulenter immutet.

5. Ex parte euentis in iustitia committitur. 1. Si rem scienter multo minoris emit, ex eo quod venditor pretium communne ignoret, censetur circumvenire. 2. Si cogat venditorem ad vendendum rem minori pretio, V. G. quia venditor illi debitor est, & premit eum ut solvat, nec vult merces illius accipere in solutionem, nisi diminuto in iuste pretio. Item si sciat venditorem esse in gravi necessitate, à qua ut se sublevet, tenetur vendere merces quovis modo. 3. Si simulet emptor se non indigere mercibus, sciens quia nullus mer-

cator illas emet, ut sic cogatur venditor ad vendendum. 4. Si fraude ac mendacijs venditorem circumveniat, ut merces ejus injusto prelio habere possit. Generaliter vero omnis injusta lesio in re gravi, in venditione & emptione quovis respectu fiat, sive ob excessum vel diminutionem pretij extra rationem justitiae, sive ob fallaciam vel deceptionem in re, sive ex circumventione vendentis aut ementis, est peccatum mortale.

Articulus Secundus.

De permutatione Pecuniarum sive Cambio.

1. **C**ambium est permutatione negotiatoria pecuniae pro pecunia, cuius variæ assignantur divisiones: 1. Est cambium reale, cum re ipsa una pecunia cum alia commutatur, ut argentea cum aurea, vel absens cum præsenti. 2. Est cambium siccum: qua pecunia pro pecunia datur absque ulla alteratione rei, & si ex illa pecuniae nuda traditione lucrum accipiatur, est usura. 3. Est Cambium minutum quo fit permu-

permutatio numismatum, diversæ rationis & speciei ad invicem. 4. Est cambium locale: quando permutatur pecunia præsens cum alia quæ est in loco distante.

2. Campsores vero juste aliquando aliquod lucrum recipiunt, ultra sortem pro pecunia, quam postulantibus in loco distanti numerari, ac eo transportari curant, per Cambium locale aut alio quovis modo. Justitiæ hujus fundamentum est lucrum aliunde cessans, cum privet se pecunia, qua posset alibi uti & de facto uteretur: addo & damnum ex natura rei emergens: cum interdum aliqua pericula incurrat. Hoc autem vel alijs justis titulis deficien- tibus nihil ultra fortem recipi potest absq; injustitia & obligatione restitutionis. Deinde in Cambio etiam solius pecuniæ pro pecunia alterius rationis & speciei quod vocamus cambium Minutum, est licitum quandoque recipere lucrum aliquod rationabile ultra sortem, absque periculo usuræ, quia servitur magnæ commoditati utentium, magnam enim præstat operam,

qui

qui Monetam ibi non usitatam recipit suo
periculo, ut tibi utilem præstet.

3. Variæ porro injustitiæ in Cambijs
interveniunt. 1. Si campsor lucrum exces-
sivum requirat & recipiat. 2. Si in cambio
minuto fraus in monetarum ratione, spe-
cie, pondere, & usuali valore, ex parte
Campsoris vel etiam Campsorij interve-
niat, solent enim se invicem non raro deci-
perc. 3. Quando Monopolio communi
campsores conveniunt, ut pretium pecu-
niarium augeatur: unde campsarijs ma-
gnum provenit detrimentum. 4. Cum
cambium est siccum, id est cum campsor
dat alteri Pecuniam ut eam ratione tan-
tum prolongatae solutionis, sive refusionis
cum lucro ultra sortem sibi reddat. Et ge-
neraliter quando non est justus titulus re-
cipiendi aliquid ultra sortem scilicet nec
ratione damni emergentis, lucri cessantis
nec ratione operis vellaboris præstati, vel
alterius quod pretio estimari possit.

Arti-

Articulus Tertius.

De Usura.

1. **D**upliciter in hac materia nomen usuræ observatur; Primo pro lucro usurario, quod ultra sortem datur & accipitur. Secundo pro contractu ipso unde hoc lucrum emergit: usura primo modo: est lucrum ultra sortem immediate ex mutuatione proveniens. Usura secundo modo: est ipse contractus mutui, sive mutatio cum pacto explicito sive implicito, supra sortem aliquid recipiendi ex vi solius mutui, sive mutuationis. Sola vero mutatio: est contractus quo res aliqua certo pondere, mensura & numero constans, in alterius potestatem traditur, cum pacto ut similis specie & bonitate restituatur.

2. In omnibus vero rebus usura committi potest, quarum fructus & utilitas consistit in quadam consumptione vel quasi consumptione. Porro fructus utilitas & usus dupliciter potest contingere. 1. In ipsius rei permanentia & stabili dominio, utpote quia res permanente earum possessione.

sione fructificant, tales sunt agri, fundi, arbores, vestes, animalia. 2. Fructus & utilitas aliquarum rerum consistit in ipsa consumptione, V. G. grani, panis, vini, olei, quarum utilitas consistit in eo, quod in hominis alimentum consumantur, in quasi consumptione autem utilitas & usus pecuniae reputatur, quatenus est instrumentum venditionis & emptionis, ac formaliter nummus, denarius, moneta, vocatur: in hoc enim utilis est pecunia quod distrahat & varie expendatur ad mercaturas, contractus. In his itaque rebus posterius relatis, quarum usus in consumptione vel quasi consumptione consistit, committi potest usura: V. G. dat Villicus aliquis alteri in Hyeme unum modium tritici, ut unum modium cum medio recipiat in Augusto, usura est: nisi certum sit eo tempore, quo dat, illa plus multo valere, quam tempore quo accipiens est redditurus, tum enim damni veri & certi compensatio postulari posset.

3. Demum omne onus ex debito justitiæ vel coactione quacunque, à mutuante

mutua-

-123103

mutuario impositum ultra fortem , sive
præcisam exigentiam fortis corresponden-
tis mutuo, usuram inducit , estq; ex genere
suo nisi levitas materiæ excuset, peccatum
mortale contra omnes leges, tam divinam
naturalem & positivam, quam humanam;
unde usurarij ab Ecclesia excommunicati
sunt, & ut tales à Sacramentorum partici-
patione & consortio sacrorum Mysterio-
rum separantur, ac sepultura Ecclesiastica
privantur. Et monet Christus *Luc. 6.* *Be-*
nefacite & mutuum date , nihil inde speran-
tes, est igitur usura peccatum contra iusti-
tiam naturalem , quia lucrum ex alieno,
imo ex eo sæpe quod non est , injuste exi-
git, & ad rapinam spectat, quia publico au-
sufacit.

Articulus Quartus.

De Elocatione.

Locatio sive elocatio est contractus,
quo personæ vel res aliqua ad aliquem
usum vel fructum conceditur. Dicitur
(quo persona) potest enim aliquis se ipsum
& operam suam , filios, servos, ac ancillas
corum-

eorumque operas, in usum, utilitatem, aut fructum, paciscendo de pretio alteri depurare. Dicitur (*vel res aliqua*) sub qua comprehenduntur res tam mobiles quam immobiles, sic enim equi, animalia, instrumenta artis, domus, ad usum elocantur. Dicitur (*pretio*) ut excludatur commodorum, quod gratuitum est: unde qui uestem pretio commodat, non commodare, sed elocare censendus est. Porro injustitiæ sequentes in elocationibus committi solent.

1. Silocans reilocatae premium excedat notabiliter, peccat mortaliter & tenetur ad restitutionem: injustum autem premium censetur quod communi a estimatione juxta rerum, temporis, ac loci circumstantias, tale reputatur.

2. Si res, quam conductor ad suum usum vel fructum accepit, sua culpa pereat aut deterior fiat.

3. Qui operam suam pretio addixit, V.G. ad transvehendas merces in aliquem locum, ad agrum colendum &c. si ejus culpa merces pereant, tenetur ad restitutionem. Item si agrum non coluit ordinario operario-

424/6

rariorum labore, & opera adhibita, tene-
tur ad damnum compensandum.

4. Si is, qui domum vel rem aliquam, et-
iam famulos alteri locato tradit, non stet
conditionibus locationis, ex quarum de-
fectu locatario damnum emergit: tenetur
ad damnorum compensationem.

Petes: si superveniat sterilitas agro,
quem elocavi ad culturam, an tenebor Do-
mino, qui mihi elocavit, ad integrum solu-
tionem pretij quo elocatus est. R. Si in
contractu nil sit reservatum, ex vi contra-
ctus teneri. Dicitur (*ex vi contractus*) ex
lege enim charitatis etiam obligantis gra-
viter, vel congruentia naturalis non cen-
setur obligari.

Articulus Quintus.

De Censibus.

I. **C**ensus est jus percipiendi annuam
pensionem, ex re aliena utili, vel ex
persona alterius. Dicitur (*jus percipiendi*
annuam pensionem) ipsa enim pensio non
est census, sed ista pensio annua consistit in
pecunia, aut in re aliqua mobili, ut tritico,
avena,

avena, &c. Dicitur (*ex realiena*) nemo enim sibi constituit censum in re propria, respectu enim rei propriæ dominium habet, & non tantum jus percipiendi pensionem. Dicitur (*ex re utili*) si enim res sit inutilis, jus fructus percipiendi fundare non potest. Dicitur (*vel ex persona alterius*) potest enim quis se obligare ad censum annum, super labore, opera, & industria propria.

2. Tribus vero modis licite potest dari pecunia in censum. 1. Emendo censum jam constitutum valore legali. 2. Constituendo novum censum super re fructifera aliena, virtute pecuniæ datæ, ut census constituatur. 3. Dando personæ certam pecuniæ summain, sub onere quod ex sua industria annuam pensionem solvat, sic enim, mediante pecunia, census realis vel personalis constituitur virtute pecuniæ: ita ut fundamentum census non sit pecunia, sed ipsa res vel persona sive ejus labor & industria, pecunia autem se habeat per medium instrumentalis causæ, per quam jus illud percipiendi pensionem constituitur.

In

Injustitiæ autem sequentes in censibus reperiuntur. 1. Si pensio excedat fructum qui ex re speratur, vel juste sperari potest. 2. Si res super qua census est fundatus, nec in se, nec in aliquo coniuncto est fructifera. 3. Si re ex toto vel ex parte pereunte, tota pensio exigatur. 4. Si in contractu emptionis census, gravamina injusta apponantur. 5. Si census sive pensio minus ematur quam valet modo, vel brevi speratur validura, quo casu sape opprimuntur pauperes, dum census suos ob temporum penuriam coguntur divitibus pro nihilo vendere.

Articulus Sextus.

De Restitutione.

Restitutio est actus justitiæ, quo redditur vel compensatur quod injuste ablatum ab alio, vel in re aliena damnificatum: ad talem vero restitutionis actum, tenetur omnis ille, qui rem alienam abstulit, accepit, scienter detinet, vel ebus proximi damnum intulit. Item: qui furto vel danno illato aut detentioni cooperatur, aut coope-

cooperatus est. Dicitur (*qui rem alienam abstulit, accepit, vel rebus proximi damnum intulit*) ad indicandos primarios fures, Raptores, fraudatores vel damnificatores, hi enim primario ad restitutionem tenentur. Dicitur etiam (*aut illam scienter detinet*) ut comprehendatur is, qui à fure rem emit, aut apud quem fur depositus, si sciat esse alienam: item omnis qui rem alienam accommodatam, locatam, impignoratam, aut depositam, injuste ultra tempus invito Domino detinet. Dicitur (*qui furto vel damno illato cooperatur*) ut includantur omnes, qui jussione, consilio, receptione furi, in actione furti cooperantur: sive etiam, qui observatione, vigilia, inductione, signo, participatione, vel alio quovis modo furto vel damno cooperantur: hi enim omnes ad restitutionem tenentur, si principales fures vel aliquis illorum non restituat. Res vero ipsa ablata, si extet, restituenda est, si non extet, aut non possit comode restitui, æquivalens restituendum est, & generaliter omne damnum in æquivalenti compensandum est.

2. Pe-

2. Petes quæ à restitutione excusent:
R. Nunquam homo in vita sua, ab habituali & radicali obligatione restituendi sive compensandi, damnum proximo illatum, excusatur ante restitutionem, nisi sola condonatione illius, à quo res ablata est, aut cui dānum illatum, vel ipsius hæredum, sive eorum ad quos jus in rem devolutum est. Quinque vero casus sunt, in quibus aliquis à restitutione excusatur:
1. Ignorantia juris vel facti circa rem: ut cum ignoro an sit aliena, vel an restituere teneamur. 2. Necessitas: si sine periculo vitæ, vel gravissimo danno sui quis restituere non possit. 3. Impotentia: quo refertur cessio bonorum tanquam signum omnimodæ inopiæ, si tamen vera sit & dolon non sit immixta. 4. Est compensatio secreta prius facta: utpote si adhunc effectum, officium, obsequium, operam æquivalenterem, absq; mercede, impenderim, aut alio modo satisfecerim, etiamsi ignoret. 5. Si jure legitimo præscripserim aut usu ceperim.

Articulus Nonus.

De Detractione.

I. **D**etractio est alienæ famæ injusta ablatio, sive imminutio per verba occulta. Dicitur (*per verba occulta*) ut distinguatur à diffamatione, contumelia vel convitio, sive exprobratione publica alicujus criminis. Porro fieri solet quatuor modis directis. 1. Crimen falsum proximo imponendo. 2. Amplificando crimen verum. 3. Crimen verum sed occultum publicando. 4. Sinistre interpretando alterius factum. Indirecti modi sunt: 1. Si ex dissimulatione nostra, fama alterius injuste periclitetur. 2. Consistit in quorundam frigida laudatione, vel permixtione vitiorum alienorum, ex quibus sæpe plus decrescit honor laudati, quam si de eo male loquerentur. 3. Dum quis negat aut minuit alterius laudabile factum.

2. Detractio vero ex genere suo est peccatum mortale, & eo gravius quo majoris boni est destructiva, nimirum famæ, quæ homini est vita charior. Sumitur ex

Scriptu-

Scriptura Psal. 49. v. 20. Sedens (inquit) adversus fratrem tuum loquebaris, & adversus filium Matris tuæ ponebas scandalum hæc fecisti & tacui. Et postea vers. 21. Arguam te (inquit) & statuam contra faciem tuam.

3. Detractor autem & infamator injus-
tus, tenetur ad restitutionem famæ. Quia
ut bene S. Aug: Epist: 54. ad Macedonium.
*Non remittitur peccatum, nisi restituatur
ablatum.* Porro modus restituendi famam,
judicio prudentis viri vel Confessarij est
relinquendus. Si enim detractor vera im-
posuit, non potest dicere se mentitum : Si
falsa: etsi possit dicere se mentitum, sæpe
tamen non expedit. Videndum igitur si
laude, officio contrario, beneficio, pro-
motione, vel aliqua congrua compensa-
tione fieri possit. Unicum monetur: quod
quamvis universum genus humanum, hoc
vitio linguæ sit plenissimum, paucissimos
esse, qui, ut debet fieri, illud æstimant, pau-
ciores qui debite de iis conterantur, vix ul-
los qui famam restituant.

4. Petes: quid censendum de audien-

V 2 te de-

te detractorem. R. Quicunque detractorem audit, ita ut detractioni aliquo modo cooperetur, sive adulando, sive excitando, sive confirmando, aut ex placido auditu occasionem præbendo, in re gravi peccat mortaliter. Unde S. Bern: lib. 2. de Consideratione sub finem: inquit: *Detrahere aut detrahan-*
tem audire, quid horum damnabilius sit, non
facile dixerim. Non tamen qui detractorem audit, tenetur illum reprehendere, aut contradicere, vel positive pro fama alterius defendenda, contra ipsum agere, sed sufficit, ut quovis modo se nolentem exhibeat, aut ostendat dicta illius sibi non placere, nisi tamen sit superior, aut persona gravis, quæ sua reprehensione possit detrahan-
tem reprimere.

TITVLVS XX.

De Agricultura.

Articulus Primus,

De Agriculturae obligationibus.

I. **N**ecessitatem Agriculturæ demon-
strat, ejus ab initio naturæ huma-
næ crea-

næ creatæ institutio: Si enim statum Innocentia perpendamus, illam quamvis non laboriosam, sed recreatione plenam, pro particulari exercitio homini Deus dederat. *Genes. 2.* *Plantaverat autem Dominus Deus paradysum voluptatis à principio: in quo posuit hominem quem formaverat, ut operaretur & custodiret illum.* Porro, quæ in statu Innocentia ad recreationem homini beata erat: post peccatum facta est generi humano ad conservandam vitam necessaria, ac laboribus & sudoribus plena, utilis tamen & honesta, nam dicit *Cicero lib. 1. de Officijs circa finem: Omnia rerum, ex quibus acquiritur, nihil est agricultura melius, nihil uberior, nihil dulcior, nihil homine libero dignius.*

2. Triplicis generis Agricolæ distinguuntur: alij enim propria colunt rura vel per se, vel servorum suorum opera utentes: alij colunt rura aliena, locatione tamen vel Emphyteusi ad tempus facta, sub certa pensione: alij tantum operas suas, mercede ex conventione facta elocant. Leges igitur Agricolarum sive proprietarij Do-

mini sint: sive locatarij & Emphyteutici:
 sive partiarij: hæ sunt: ut ab alienis agris,
 qui ad eos nullomodo pertinent, abstineāt:
 Decimas persolvant. Hæ autem inter
 omnes illos est distinctio, quod agricultæ,
 qui simul agrorum Domini sunt, liberam
 habeant de suis agris dispositionem, sive
 et colantur, sive ut à cultura cesserent, sive ut
 hoc vel illo semine seminentur, sive ut his
 vel alijs modis excolantur: Agricultæ vero
 locatarij tenentur legibus locationis, sive
 de quibus in locatione conventum est: &
 eodem modo partiarij tenentur, conditio-
 nibus sive legibus quibus cum Domino
 proprio convenerunt: qui autem solum
 operas suas mercede locant, ab arbitrio
 Domini Principalis in omnibus pendent.

Articulus Secundus.

De peccatis Agricultarum.

1. **P**eccant si ex agris ad se pro tempore
 non pertinentibus fructus accipient.
2. Si, ut plus terræ occupent, terminos
 agrorum suorum excedant, & in alienos
 agros

agros transferant. Hi peccant mortaliter
tenenturque ad restitutionem.

3. Peccant si permittant sua animalia in a-
lienis agris pascere.

4. Si sua incuria alienis agris damna infe-
runt, illaque compensare non student.

5. Peccare convincuntur locatarij, qui A-
grorum conservandorum curam habent,
& permittunt illos delabi in sterilitates, in
damnum proprietariorum.

6. Peccant qui leges in locatione positas
non servant, sed ijs contrarium agunt.

7. Partiarij juxta rationem materiæ pec-
cant, qui suos patronos defraudant, non
restituentes partem integrum fructuum,
de qua conventum est, vel non nisi ex
pejoribus.

8. Quamvis proprietarii agrorum, vix in
ipsa agrorum cultura peccare possint, non
raro tamen in venditione sive distractione
fructuum peccant, nimirum vendendo
fructus excessivo pretio, vel diminutis
mensuris, vel fruges vitiatas pro bonis, vel
commutando grana tempore quo vili pre-
tio comparantur, ut altero tempore sum-

9. Peccant *Agricolæ* juxta qualitatem ma-
 teriæ mortaliter: qui decimas negant, aut
 quovis modo injuste defraudant, ni-
 si privilegio aliquo ab illis solvendis libe-
 ri sint.

10. Peccant peccato gravi inhumanitatis
 villici, qui pauperes tempore messis à suis
 agris & messoribus abigunt.

11. Alia quædam sunt peccata, quæ et si *A-
 gricolis* non sint propria, apud illos tamen
 valde frequentia sunt. Ut observationes
 vanæ æris, volucrum, superstitiones in
 seminibus jactandis, in animalibus con-
 servandis à lupis, sanandis ab infirmita-
 tibus, & id genus alia: In hoc enim sæ-
 culum devenimus, quod *Agricultura*, quæ
 de se innocentissima erat, humana malitia,
 in peccatorum quandam voraginem de-
 lapsa videatur.

TITV-

TITVLVS XXI.

De Pastoribus Gregum.

Articulus Primus.

De obligatione Pastorum animalium.

I. **A** principio quidem Patriarchæ & ipsi Reges , Pastores pecudum fuerunt, & divitiæ illorum in animalibus constituebantur , de quibus passim Scriptura. Porro nunc Triplicis generis pastores sive Armentarij reperiuntur : alii enim Mercenarii, alii Partiarii, alii Domini sunt. Mercenarii dicuntur : qui ad custodiam & curam animalium , suam operam & industriam stipendio certo elocant. Partiarii : qui industriam suam & operam gregibus impendunt , contractu quodam societatis ; ut certa pars gregis eis cedat, sive ut Dominus animalia , partarius operam & industriam ex contractu contribuant. Domini dicuntur : qui per se sive filios animalia pascunt absq; opera aliena: quales fuerunt Abel: & cæteri Patriarchæ etiam David.

V 5

2. Por-

2. Porro sub nomine Pastorum comprehenduntur, omnes qui animalium pastui invigilant, quocunque tandem vocabulo nuncupentur, à variis animalium speciebus: ut caprarii, qui capras custodiunt: Bubulci, qui Bobus pascendis vacant: Porcarii qui porcos: Equisones & Agisones, qui equos & mulos pascunt & gubernant: horum obligationes potissimum sunt tres.

1. Ut gregem & singula gregis animalia, ab omni injurya, quantum possunt, defendant, & suo Domino bene conservent. 2. Ut gregem ad pascua salubria, & animalibus proficia deducant. 3. Ut caveant ne greges & animalia suorum Armentorum, alicui damnum inferant.

Articulus Secundus.

De peccatis Pastorum.

1. **P**eccant mortaliter in Materia gravi, si ex eorum culpa vel negligentia aliquod pecus pereat, utpote: vel devoretur à lupo, vel alia fera: vel furto auferatur, aut ob imperitiam gravem animalia incurvant morbos, quibus aut sterilescant aut emoriantur,

riantur, & in his pro ratione culpæ & negligentiæ, tenentur ad restitutionem, quia ex eorum culpa Dominus damnum injustum patitur.

2. Peccant qui furantur oves, vel cum fibribus paciscuntur, aut etiam eas vendunt, vel quomodolibet Dominos in ovibus & armentis defraudant, obliganturque ad restitutionem.

3. Peccant qui de pascuis salubribus non curant, & defectu congrui alimenti damnum pecoribus inferunt, si modo alia pascua haberi commode possint.

4. Peccant qui vel positive per animalia suæ curæ commissa, infert alicui tertio, in se vel in suis bonis, notabile aliquod damnum: vel ex sua negligentia indirecte inferri permittit.

5. Peccant etsi animalia non immiserint, Armentarij, quorum negligentia & defectu custodię, in aliena sata & prædia irrumunt, & ad damni restitutionem tenentur.

6. Peccant dum Missas in Dominicis & festis non audiunt, cum tamen extra casum necessitatis teneantur.

TITVLVS XXII.

De Molitoribus.

Articulus Vnicus.

De Molitorum obligatione & peccatis.

Molitores legibus Justitiæ & aquitatis, tam respectu molitionis, quam respectu stipendii, & portionis acceptandæ ex farina, obligantur, & juxta qualitatem damni illati, peccant mortaliter vel venialiter, & obligantur ad restitutionem. Tribus vero modis molitores injustitiam committere solent.

1. Si Bladum vel Granum acceptum immutent in aliud, quod etsi sit ejusdem speciei, est tamen minoris bonitatis & valoris, hoc autem solent facere, ut illud melius divendant, in quo multum lucrantur, & alteri injuriam faciunt, tenenturque ad restitutionem saltem pretii, quo illud plus valebat.

2. Peccant, si diversorum granorum farinam simul immisceant, cum acceperunt unius

unius speciei granum, unde fraudes multæ
fiunt, in damnum illorum, qui granum at-
tulerunt.

3. Peccant si pro stipendio & portione si-
bi pro opere assignata, plus debito acci-
piant, vel ut non advertatur, pondera im-
mutent, alteritis generis farinam imo quis-
quilias immiscent, item si Gabellas justas
de fraudulent.

TITVLVS XXIII.

De Pistoribus.

Articulus Vnicus.

De peccatis Pistorum.

1. **G**RANITER peccant si ex ignorantia ar-
tis Pistoriæ, alienos panes male pin-
sunt, unde tertio grave damnum facere
convincuntur.

2. Qui farinam acceptam adulterant, mi-
scerent, & varie componunt, in grave da-
num eorum, pro quibus operantur.

3. Qui pro pane triticeo, vendunt panem
mixtum silagine, hordeo, &c. & quali ta-

Tractatus Tertius,
men pretio quo merum triticeum ven-
derent.

4. Qui de pondere justo diminuunt, aut
ut pondus suppleant, varia immiscent, aut
non bene coquunt, ut humiditatis aliquid
remaneat.

TITVLVS XXIV.

De Lanionibus.

Articulus Vnicus.

De peccatis Lanionum.

1. **P**eccant Laniones, juxta qualitatem &
quantitatem damni, si carnes infectas
aut corruptas divendant, earum corru-
ptionem malitiose tegentes.

2. Qui carnes varie alterant inflationibus
vel aliis mediis, ut corpulentæ appareant.

3. Qui varie illas immutant, vendentes
ovinam pro vervecina, vaccinam pro bo-
vina, auctiōne pretij.

4. Qui ponderibus falsificatis utuntur, vel
miscent ossa ut pondus augeant, denique
quidquid æquitati & justitiæ contrarium
attendant.

TITV-

TITVLVS XXV.

De Coquis.

Articulus Vnicus.

De peccatis Coquorum.

1. **C**Oci peccant indirecte, si in condimento Ciborum, omnis frugalitatis & temperantiæ humanae modos excedant; sive ille modus in excessu pretii & impensarum prodigarum: sive in incentivo gravi carnis & appetitus aut concupiscentiæ carnalis consistat. Sicut enim homines, qui eis utuntur, in gravissima peccata prodigalitatis, gulæ, intemperantiæ, & carnalitatem incidunt, sic Coci, qui illa præparant, tanquam peccatorum gravissimorum Ministri, in statu damnationis vivunt, peccatis multis mortalibus irretiti.

2. Peccant ex indirecto, qui cibos ita alterant, ut sæpe sanitati hominis noceant, ex ignorantia quidem conditorum, quæ sanitatis venena sunt, quorum tamen rationem ex vi artis suæ habere tenentur.

TITV-

TITVLVS XXVI.

De Cauponibus.

Articulus Vnicus.

De peccatis Cauponum.

1. Peccant Caupones, qui cerevisiam vel
vinum lymphatum aut varie mixtum,
pro puro vendunt, vel dolose subministrat.
2. Peccant qui mensuris inquis five di-
minutis, aut excessivo pretio Cerevisiam vel
Vinum vendunt.
3. Peccant qui plus adnotant quam bibi-
tum sit.
4. Peccant qui universaliter in cibis poti-
bus, lignis ad ignem, & aliis hujusmodi in-
justicias comittunt, ea occulte subtra-
hendo, immutando vel carius vendendo,
tenenturque ad restitutionem.
5. Peccant qui Lenones, Meretrices, lu-
dos alearum & chartarum, in suis tabernis
sovent, quia eis imputantur peccata, que in
ludis hujusmodi committi solent.
6. Peccant qui non tantum promunt po-

tuna

tum perentibus, sed etiam afficiunt ad potum, etiam si videant eos actu inebriari.

7. Peccant qui sustinent fures, latrones, grassatores viarum, & magis qui eorum furtis communicant, vel in ijs vendendis ac distrahendis cooperantur, quæ non tantum sunt peccata mortalia, sed tales etiam digni sunt morte temporali.

8. Peccant qui hospitantibus apud illos infideles sunt, non tantum eos non protegentes, sed permittentes, ut hospitum sarcinæ capiantur, hæc omnia & plura, in istis tabernis, tam in civitatibus quam foris ita communia sunt, ut vindictam foris clamant, vñ ijs quorum est invigilare ne fiat.

TITVLVS XXVII.

De Textoribus.

Articulus Vnicus.

De peccatis Textorum & Lanificum.

1. **P**eccant: qui Lanam præparant & vendunt adulterinam vel diminutam, probona, corruptam, pro integra, & eodem pretio, quo probatam venderent.

2. Pec-

2. Peccant qui in pondere defraudant, madefacientes sive humectantes lanam, ut amplius ponderet, & minus de illa præstent, quæ fraudes etiam in lino Serico & hujusmodi intervenire solent.

3. Peccant qui lanas tinctas dividentes, tincturis adulterinis & sophisticis utuntur, vel etiam in tincturæ opere lanam inficiunt, comburunt, aut aliter valori lanæ officiunt, & nihilominus pretium probatæ tincturæ accipiunt.

4. Peccant qui diversas lanas permixtas ad invicem, divendunt eodem pretio, qua si ejusdem qualitatis essent, tenenturque ad damni restitutionem.

5. Qui lanam, linum sericum filunt, si miscéant fila scienter unius qualitatis lanæ cum altera, vellinum cum lana, aut linum cum serico.

6. Peccant textores qui lanam linum sericum sibi protextura data, in damnum magnum mercatorum mutant, miscent, & alterant.

7. Qui non satis torquent, stringunt, aut texunt.

8. Qui

8. Qui nîmis extendunt, ut in aliquot ulnis unam lucentur, item qui in extensione dilacerant, & denuo studiose confluunt, ut divisio non appareat.
9. Peccant qui in ulnis & mensuris injitiam committunt.

TITVLVS XXVIII.

De Sartoribus.

Articulus Vnicus.

De peccatis Sartorum.

1. Peccant Sartores si non fideliter vestimenta consuant, aut arte debita illa disponant.
2. Peccant si de panno, serico, tela, bomбice, &c. partem subtrahant, nisi forte in compensam laboris id facerent, in casu quo eis stipendium sufficiens non daretur.
3. Peccant si inventores novitatum fuerint, aut singulari industria vestes impudicitati & vanitati servientes faciant.
4. Peccant juxta rationem damni, qui veteres vestes ita apposite purgare, & appartenenti

renti quadam specie reparare norunt, ut
eas pronovis & integris vendant.

TITVLVS XXIX.

De Sutoribus.

Articulus Vnicus.

De peccatis Sutorum.

1. Peccant Sutores, qui materiam calceorum immutant, vendentes in calceis corium unius generis, pro altero, impingentes intus vetus & improbum corium, pro novo, item madefactione, percussione, calefactione, varie corium immutantes, ut ementes decipient, quibus revera prodam tenentur, eo quod omnibus computatis ultra dimidium nonnunquam vendant calceos, ocreas, & alia suæ artis opera.

2. Peccant qui vanitati, luxui & impudicitiis augendis, in extrema & contemptibili parte corporis, suis adinventionibus adminiculo sunt.

TITV-

TITVLVS XXX.

De Medicis et personis Medi- cinæ deservientibus.

Articulus Primus.

De Medicorum obligatione.

1. **T**ria in Medicis requiruntur. Primum est scientia approbata, nulli enim licet absque illa officium Medici administrare, ob periculum cui infirmi exponerentur, debet etiam scientiæ adjuncta esse experientia, non enim Medicus inexpertus quantumvis doctus, admittendus est. Requirit autem scientia ista, speculationem & notitiam corporis humani, & constitutionis ac complexionis ejus: Similiter herbarum, succorum, radicum, metallorum, & aliorum quæ in Medicinis adhibentur.

2. Secundum quod in Medico requiritur est fidelitas, quæ in hoc consistit: ut fideliter primum de morbo, de causis & qualitatibus morbi, & personarum complexione inquirat: demum: magis certa, congrua & ef-

& efficacia , ad sanitatem consequendam medicamina adhiberi curet, fidei enim ej^o infirmus committitur. Ad fidelitatem etiam Medici spectat, ut naturalibus Medicinis contentus , ad superstitiones , vanas observantias, aut artes magicas non recurrit. Item: ut causas secretas in morborum, quæ illi sub secreto naturali committitur, non revelet, possunt enim interdum vel infamiam vel aliud detrimentum cau- sare. Item ad fidelitatem Medici ex præcepto divino & Ecclesiastico pertinere di- gnoscitur : ne volens corpori subvenire animæ noceat , quod fit, si aliquid ordinet cui annexum est mortale peccatum, V.G. ut ad humores evacuandos, mulierem ex- tra statum Matrimonij cognoscat , ut se ipsum polluat, vel pollui se procuret, ut ad vomitum causandum inebrietur, qui simili- lia suadent, præter peccatum mortale, pæ- nam excommunicationis incurront.

3. Tertium quod in Medico desidera- tur est: cura & sollicitudo diligens circa ægrotum, unde non sufficit simpliciter æ- grum visitare, ad salarium ; sed tenetur or- dinare

dinare de Diæta , & observatione victus, tam bene, quam de Medicinis probatis, & maxime super Pharmacopolis invigilare, ut quæ ordinantur, fideliter subministret. Item ad curam ejus spectat , observare tempus oportunum, quando æger non pericitatur , antequam adhibeat urgentia medicamenta, quæ adhibita tempore non suo, interdum aut mortem, aut periculosa symptomata causarent. Item : ut bene advertat nedium portionem medicam mulieri præscribit grava sit , & ne per potionem procuret abortum, maxime animato fætu, in hoc enim homicidij reus convincitur. Item ad curam Medici spectat, ut ubi advertit morbum invalescentem , etiam ante periculum mortis, suadeat, ut advocetur spiritualis Medicus, qui à peccato animam curet, teneturq; ad hoc post tertiam visitationem sub peccato mortali.

Articulus Secundus.

De Chirurgis.

I. **C**Hirurgi sunt Medicinæ Ministri, & in his eadem proportionaliter requi-

requiruntur. Quæ in Medicis: nimurum: Scientia Chirurgie, experientia approbata, & expertorum judicio confirmata, & si absque tali scientia à Magistratibus admittantur: ipsi exercentes, & Magistratus admittentes, ob pericula, quibus hominem exponunt, mortali peccato ut plurimum se polluunt. Requiritur etiam in iis fidelitas, ut curando homini fideliter assistant, & ab eventibus fortuitis, quæ ex variis causis infimo evenire possunt, caveant. Requiritur etiam sollicitudo, ne defectu vigilantiæ ac industriæ, patienti aliquod periculum vel detrimentum superveniat.

Articulus Tertius.

De Pharmacopæis.

1. **P**armacopæi Medicis omnino necessarii sunt, quorum officium est medicinas componere, & ad præscriptum Medicorum disponere, & hos artis scientia, fidelitas, & justitia in distribuendis medicinis, maxime obligat: Scienter quidem, ut praxim medicinas conficiendi, miscendi, adhibendi norint: fidelitas: ut probas

non

non mutatas neque vitiatas, non corruptas
nec nimis vetustas subministrent. Justitia:
ut justo pretio divendant, in quibus multæ
fraudes intervenire non raro solent.

Articulus Quartus.

De Obstetricibus.

I. **O**bstetrices etiam particulam aliquam medicinæ sibi usurpant, quia quadam arte uti debent, ut feliciter absque detimento Matris & fætus, parturienti, obstetricem manum adhibeant, ut lotioni, præcisioni umbelici, compositioni corporis puerilis, dum partus egressus est invigilent, ut denique omnia observent, quæ ad fætus & Matris conservationem in illo actu sunt necessaria: quare ad hoc assumi non possunt, nisi providæ & honestæ ac expertæ, quarum vita ac fama integra sit. Nam præter ea quæ superius narrata sunt, solent adhiberi ut cognoscant, an puella integri claustri virginalis sit, an corrupta, an capax coitus Matrimonialis, an incapax, quarum judicio, si nihil obstet, statur. In necessitate etiam debent invigilare, ut proles tempe-

X stive,

stive, etiam vix egressæ ex utero matris, si membrum sufficiens appareat, baptizen-
tur, & ipsæ possunt & debent, ubi non est alia persona dignior, baptizare, adeoque formam Baptisini callere. O quot Diabo-
li Ministrae, proles è ventre prodeuntes occiderunt, Baptismo priarunt, & venefi-
ciis ac sortilegiis innocua membra addi-
xerunt, hinc invigilandum ut suis muniis probe & fideliter satisfaciant, unde jura-
mentum à magistratibus ab iis exigendum,

Articulus Quintus.

De Salario Medicorum.

I. **S**Alarium Medicorum diversimode assignatur: aliis enim plenum Sala-
rium ex ærario publico solvitur, ut omniū Civium infirmitatibus medeantur, & hi à particularibus, qui isti^o Civitatis membra sunt, salarium non accipiunt, sicut nec ij qui ab hospitalibus bene dotatis stipen-
dium habent. Alii sunt qui quidem stipen-
dium ex ærario accipiunt, sed non suffi-
ciens, & his licet accipere stipendium à particularibus quos visitant, exceptis pau-
peribus

peribus, quibus ex vi publici stipendii servire tenentur. Alii denique sunt: qui nullum salarium ex ærario publico accipiunt, hi à particularibus conveniens salarium accipere possunt, cuius quantitas publico decreto, usu vel consuetudine approbata, mensurari debet. Aliud est de Chirurgis, qui artem, industriam, laborem, medicinam, unguenta præstant, hæc enim omnia in æstimationem & computum deduci debent, & secundum illa solutio fieri.

Articulus Sextus.

De peccatis Medicorum.

1. **P**eccant mortaliter, qui permittunt vel procurant se ad gradus Licentiæ vel Doctoratus in Medicina promoveri, quamvis sciant se ignaros vel insufficienes, si intentionem habeant exercendi Medicinam: Similiter peccant ij qui tales promovent.

2. Peccant qui ignari & inexperti scientiæ Medicæ, medicinas ordinant, subsistente aliquo periculo vel damno, quia qui alicui periculo alium exponit, tantum peccatum

committit quantum est periculum, censem-
tur autem exponere periculo mortis vel
gravioris infirmitatis, aut diurni morbi,
qui ignorat constitutionem ægroti, quali-
tatem morbi, virtutem medicinæ.

3. Peccant qui etsi artis medicinæ gnari,
adhibent tamen ex proprio cerebro non
nulla, quibus infirmus gravibus periculis
exponitur, solum ut experimentum ac-
cipiant.

4. Peccant qui spe majoris lucri infirmi-
tates prolongant, quas citius sanare pos-
sent, quo vitio singulariter laborant Chirur-
gi, in longum curas suas protrahentes
absque causa.

5. Peccant qui utuntur aliquibus mediis,
vel suadent ægrotto aliqua quæ sunt contra
Dei mandata.

6. Peccant qui abortum post animatum
fætum per potionem medicas scienter cau-
sant, hi enim homicidii rei sunt. Similiter
qui extra casum necessitatis potionem ad
abortum præbent, etiam ante animatum
fatum mortaliter peccant.

7. Qui negligentia oportunæ visitationis
in

in causa sunt vel gravioris infirmitatis, vel diuturnioris languoris, vel etiam mortis.

8. Peccant qui infirmum periculoſe labo-
rantem non monent, aut per alium effica-
citer moneri curant ut confiteatur, & de
ſua anima disponat.

9. Si ob æmulationes quas ad invicem ha-
bent, nolunt cum aliis ad consultationem
concurrere, aut in consultatione malitio-
ſe ſibi invicem contradicunt, aut consilium
ſuum pertinaciter etiam contra veritatem
agnitam defendunt, in grave detrimen-
tum infirmi.

10. Pharmacopæi frequentius ſe peccatis
mortalibus intricateant. 1. Si medicinas cor-
ruptas & antiquatas exhibeant. 2. Si phar-
macum unum pro alio velut æquivalenti
miſceant. 3. Si pharmaca ipſa, ut Syrupos
ſophiſticent. In quibus non ininus peccant
Medici, qui illa fieri ſiunt, & participatio-
ne lucri marsupium unum cum illis faciūt.
4. Si extra jurati Medici certam ordina-
tione in aliquid venenosí admiſceant. 5. Si
venena vendant ut ſicutam, Salaman-
dram, mandragoras cantharydes, &c.

X 3 quæ

TITVLVS XXXI.

De Militia.

Articulus Primus.

Quid sit Militia.

1. **M**ilitia est hominum multitudo, au^roritate publica collecta, sub præfectis & Ducibus congruis legibus artificiose adunata, Sacramento sive Jura-
mento obligata, ad juste, & justitiæ affectu
hostes reipublicæ vel propulsandos vel
persequendos, amore justitiæ & pacis or-
dinata. Dicitur (*au^roritate publica*) quæ
residet in Rege, Principe supremo, vel re-
publica independente: non tamen in infe-
rioribus, nisi de au^roritate superiorum,
aut in casu angustiæ, vel necessariæ defen-
sionis: Dicitur (*artificiose adunata*) con-
tinet enim militia artem singularem, sive
se & rempublicam fossis, vallis, arinis, vigi-
lijs defendendi, sive industrie & ordinate
in a-

in aciem procedendi. Dicitur (*ad juste & justitiae affectu hostes propulsandos*) in quibus verbis causæ justi belli, simul & recta intentio bellantium exprimitur: nimirum: protectio populi ab injuriis, quæ fit bello defensivo, vel ultio injuriarum jam inflitarum, quæ fit bello offensivo, intentio autem recta, est veræ justitiae & æquitatis affectus.

2. Porro tribus conditionibus bellum juste inchoatur. Nimirum: si sit sufficiens auctoritas: causa justa: intentio recta: sufficiens auctoritas censemur, si à Rege aut Principe supremo aut republica independente indicatur. Causa justa belli offensivi, his clauditur partibus. Prima est: si instituatur ad recuperandas terras & bona injuste ablata, sic pugnarunt Hebræi contra Philistæos, quia detinebant terram sibi à Deo promissam. Secunda: dum ad ulciscendam publicam injuriam instituitur: sic ob injuriam factam legatis publicis, & consequenter Regi David eos mittenti ipse bellum indixit Regi ammonitarum, 2. Reg. 10. Tertia ad protegendarum justitiam.

tiam. Quarta : ad recuperanda jura Regnum: tale fuit bellum Joram contra Regem Moab 4.Reg. 3. ex recta intentione bellum justum est: dum scilicet ob iustitiam, bonum publicum, & pacem bellum geritur, non tamen amore vindictæ, quam satisfactionis & iustitiae. Quatuor vero conditionibus bellum finitur & pax coalescit: nemirum restitutione ablatorum, compensatione damnorum: satisfactione injuriarum : vel omnium liberali condonatione.

Articulus Secundus.

De potestate Militum circa personas & bona hostium.

I. **M**iles in hostem potest quidquid spectat, aut aliquo modo pertinet ad finem justum belli consequendum: sive fiat occisione, mutilatione, captivitate, bonorum usurpatione, aut incendio. Quia qui juste intendit finem, potest juste adhibere media ad finem, illa autem media sunt, quibus hostis vel juste punitur, vel juste ad restitutionem bonorum vel com-

pen-

pensationem injuriarum compelli potest.

3. Occisio vero vel mors extra conflictum vel pugnam non permittitur, si aliter hostis possit subjici, & aliud malum non immineat, quia occisio non justificatur nisi cum necessitas, vel justitiæ & legum exemplaritas ad hoc cogit.

3. Abstinendum etiam est militi ab occidente innocentum in bello: quia nemo ob peccatum, cuius sibi conscius non est, morte plecti debet: inter innocentes autem computantur pueri, infantes, captivi, qui apud hostes detinentur, mulieres, peregrini, item qui ad hostem nullatenus spectant, nec illi ullo modo cooperantur.

4. Licet militibus spoliare bona mobilia hostium, servata tamen proportione justitiæ & æquitatis, damni vel compensationis, quæ per bellum intenditur; juxta legum Militiæ præscripta & ordinationes: quia bona mobilia hostium bello capta, jure Gentium sunt victorum. Unde militibus *Deut. 20.* omnia spolia adjudicantur: *Cumq; (inquit) tradiderit Dominus: Deus tuus illam (supple civitatem) in manutua*

*Tractatus Tertius,
omnem prædam exercitui divides, & com-
medes de spolijs hostium tuorum quæ dominus
Deus dederit tibi.*

Articulus Tertius.

De obligationibus Regum erga Mi- litiam & Milites.

I. **O**bligatio est: ut Rex in electioni-
bus præfecturarum, habeat ratio-
nem idoneitatis, probitatis & justitiæ, in
personis quas eligit vel instituit, ad idonei-
tatem requiritur. 1. Scientia & praxis artis
militaris, ut sciat defendere Civitates, valla
& fossas industrie construere, acies diri-
gere, &c. 2. Prudentia agendorum: quæ
consistit in eo ut Duces norint pericula
declinare, opportunitatem ad aggredien-
dos hostes, militum animos ad pugnam di-
sponere. 3. Fortitudo: quæ consistit in
constantि adversitatum tolerantia labo-
rum perpessione, difficultatum forti evi-
ctione. 4. Probitas: quæ in hoc consistit,
ut Christiane & Catholice vivant, manda-
ta Dei servantes, à vitiis & concupiscentiis
elongati. Justitia autem eorum in hoc
elucet:

elucet: si neminem concutiant, ne in ini-
lumniam inferant, sed suis stipendiis con-
tentivivant.

2. Obligatio est ut provideat militibus
de stipendio. Hinc enim Regi bona &
proventus assignati sunt, & ei tributa sol-
vuntur, ut Regno subveniat, & milites
congrua stipendia accipiant, quibus non
licet aliquid exigere, ultra id quod jure
ipsis assignatum est, & quidquid accipitur
aut exigitur ultra stipendum, injuste acci-
pitur & exigitur, adeoque peccatum mor-
tale juxta rationem materiæ committitur,
cum obligatione ad restitutionem. Licet
vero interdum militi, petere & recipere à
populo & Rusticis quæ necessitas, chari-
tas, gratitudo vel urbanitas requirit. E. G.
miles stipendio destitutus potest cibum,
vestimenta, medicinam, sive in pecunia sive
in specie postulare, & qui habent media
tenentur illis dare, quia milites suam vitam
pro Republica exponunt. Item si aliquam
gratitudinem præstent Rusticis bona eo-
rum conservando, liberale aliquod subsi-
dium accipere possunt.

3. Obligatio est : ut de Annona quæ ad militum sustentationem & necessitates, si-
ve quæcunque bello gerendo necessaria, ex
communi ærario subministratur , provi-
deat. Ad quam proinde annonam perti-
nent frumenta, panes, vinum, cerevisia, a-
vena , & fænum pro equis, arma, pulveres
tormentarij , medicamenta & id genus
alia , qua exercitui in castris præsto esse
debent.

4. Obligatio est : militum conservatio &
disciplina, bene meritorum remuneratio.

5. Obligatio est : provisio hospitiorum
pro militibus, qui enim militem conducit,
tenetur ei de hospitio providere, attenden-
dum vero ne regulas hospitiorum exce-
dat, nimirum : 1. Ut sub titulo servitii plu-
res milites secum ad hospitium non addu-
cant. 2. Ne tenuioris fortunæ homines,
& qui unicam forte cellulam habent ve-
xentur, aut è casula sua ejiciantur. 3. Ut in
domibus hospitii capacibus , hospes possit
retinere duo loca sibi & familiæ , modo u-
num militi præstet. 4. Apothecæ & loca
mercibus deputata , domino libera ma-
neant.

neant. 5. Ut omnis concussio absit , alias
Domino hospitii liceat propria auctori-
tate, militem expellere, nec tenetur Domi-
nus hospitii aliud præbere , quam quod
habitationi Ordinariæ sufficit , nimirum:
quæ ad cubile , mensæ supellectilem & hu-
jusmodi necessaria sunt : unde nec tenen-
tur cibos præbere , animalia & equos nu-
trire , nisi aliunde causa justa vel necessitas
hoc exigat.

Articulus Quartus.

De obligationibus Ducum ac Militiæ Officialium.

1. **O**bligantur ut milites in armorum
exercitijs & officijs suis dirigant : &
milite utiliter & provide utantur : item ut
milites in suo officio contineant , & ne al-
teri injuriam inferant, cohibeant.

2. Obligantur Commissarii aliique offi-
ciales qui distributioni stipendiorum mi-
litarium intendunt ad tria: nimirum: pecu-
niā paratam in tempore habere : illam in
fideli moneta suppeditare : eandem fideli-
ter & capitatum distribuere.

3. Obligantur ij qui annonæ militari præficiuntur ad tria, nimirum: annonam debito tempore paratam habere: illam in speciebus probatis suppeditare: eandem fideliter distribuere.

Articulus Quintus.

De peccatis Regum, Ducum, aliorumq[ue] Militiæ Officialium.

1. **P**eccat Rex & ad restitutionem teneatur, qui ubi sufficiunt regni provenitus, nova tributa sub prætextu militiæ imponi curat.

2. Peccant qui in Duces & præfectos militum assumunt, artis & scientiæ militaris ignaros, item qui adolescentes, effæminatos, & in delitiis effusos præficiunt, tales enim aptiores essent ad januam amasiam suæ vigilare, quam cohorti alicui militum præesse.

3. Peccant qui præfecturas militiæ, indignis pecunia vendunt, aut favoribus communicant.

4. Peccant qui cum præfecturam indigni adepti

adeptisunt, aut eam non deponunt, aut se
idoneos reddere non student.

5. Peccant qui Lasciviis vacantes, militi
suo malum exemplum præbent, & carnis
vitiis ac ebritatibus dediti, disciplinam mi-
litarem negligunt.

6. Qui non contenti suis stipendiis popu-
lum concutiunt, & ad contributiones in-
justas cogunt, aut facto communi marsu-
pio, cum populi ministris prædam dividūt.

7. Committunt peccatum in cælum cla-
mans, qui militi stipendia subtrahunt, aut
negant, vel ipsum in solutione stipendii,
quovis practicabili modo defraudant.

8. Peccant qui frumenta corrupta vel vi-
lissimi pretii pro annonæ congregant, ea
nihilo minus carissimo pretio Regi ven-
dentes.

9. Peccant qui debito tempore annonam
non congregant & distribuunt, unde fre-
quenter exercitus, retardatur vel miles fa-
me consumitur.

10. Peccant qui ubi pro triginta militibus,
quos solum habent, panes sufficerent, exi-
gunt panes pro centum, aut cum præfecto
anonæ

annonæ vel panum componunt, ut sum-
mam pecuniæ accipiant, prædam inter se
dividentes.

11. Peccant Duces & præfecti militum, qui
tumultuarie & extra Regulas unicuiq; sibi
hospitium accipere permittunt: qui con-
cussiones & injusta gravamina non cohi-
bent, sed effreni militum libidini omnia
derelinquunt.

12. Peccant qui pagis vicinis ad contribu-
tiones pecuniarias adactis, in unum aut al-
terum paguin, totum onus militum di-
vertunt.

13. Qui prætextu sui status & nobilitatis
vel officii, in delitiis mensalibus excessiva
exigunt, sive ut ijs delitientur, sive potius
ut cogant illa pecuniis multis redimi.

14. Peccant qui suis militibus in terris a-
amicis prædas permittunt, & partem sibi
præstandam reservant.

15. Peccant Metatores castrorum, qui in
dispositione hospitorum alios pecunia
accepta eximunt, alios gravant: aut qui
cum officiariis pagorum convenient, ut
accepta pecunia vel ab eis declinent, vel
minori numero pagos gravent. Ar-

Articulus Sextus.

De obligationibus Militum.

1. Obligantur Milites ad fidem seu fidelitatem, in avertendis à Rege & Republica malis: in conservandis bonis, quæ ad salutem & utilitatem eorum pertinent: in servandis secretis suæ partis.
2. Obligantur ad obedientiam respectu Ducum & præfectorum militiæ, nomine regis, debet autem esse obedientia cæca: ut de causa, ratione mandati non disputerent. Item debet esse expedita: ut non tergiversentur: etiam debet esse præcisa: ut nihil ex ijs quæ mandantur prætermittant.
3. Obligantur ad fortitudinem in tolerandis duris & adversis: in aggrediendo vel fugando hoste: in exponendo se morti pro rege & republica.
4. Obligantur ad populi conservationem, protectionem & injuriarum propulsationem.
5. Tenentur hostibus servare fidem datum, & ad Christianam charitatem ac humanam mansuetudinem.

Arti-

Articulus Septimus.

De peccatis Militum.

1. **P**eccant contra fidelitatem proditoris, factiosi, cum hostib⁹ paciscentes.
2. Qui in defendenda civitate speculatori res positi obdormiunt, agredientem hostem vel non denuntiant, vel non repellere conantur.
3. Qui sua infidelitate vel positive suam stationem, aut etiam civitatem, hosti produnt, vel negative non resistentes, viam parant ad faciliorem occupationem.
4. Qui secreta militiæ revelant: ex qua revelatione, sua pars à consecutione aliquis victoriæ præpeditur, vel ab adversa damnata reportat.
5. Peccant qui mandatis obedire detrentant, vel tergiversantur, ve ex culpa sua aliquod mandatum vel pactum prætereunt.
6. Peccant contra fortitudinem militarem, qui nec in duris se exercent, nec in acie strenuitatem ostendunt, nec in defensione constantiam: ad fugam magis habiles quam ad hostis persecutionem.

7. Pec-

7. Peccat miles cum rusticos aut hospites suos percutit, affigit & variis modis vexat, aut ab eis quæcunque cupit extorquat. Taceo stuprations Virginum, invasiones fæminarum, ruinas & incendia domorum, dissipations mobilium, quæ his temporibus militibus quotidiana sunt.

8. Peccant qui fraudulenter culpam aliquam Civi aut Rustico imponunt, ut hoc prætextu in bona illorum involent, multas & pænas pecuniarias imponant, illos incarcerent.

9. Peccant qui fidem hosti datam non servant vel quovis modo violant aut fraudulenter interpretantur.

10. Peccant qui hostibus captivis injurias graves inferunt, illos calumniis vexant, & durius tractant, absque ulla humanitate.

11. Peccant qui cives & rusticos hostes spoliantes, cuim non resistunt, verberibus concutiunt, ijs injurias irrogant, & quacunque barbaries in eos exercent.

12. Qui in imbellem fæmineum sexum, non tantum per concubitus & tactus illicitos, sed etiam per invereendas actiones

&

13. peccant qui dum hospitia designata vel
tumultuarie accepta occupant, patronos
domorum divexant, familiam concutiunt,
& omnis generis nequitias exercent, quæ
lubent prædantur, pecunias extorquent,
domos dilacerant, ferramenta plumbum &
alia detrahunt.

TITVLVS XXXII.

De Duello.

Articulus Vnicus.

Quid sit Duellum & an licitum.

1. **D**uellum est pugna duorum ex con-
dicto adversus invicem pugnan-
tium, ad mortem sibi invicem inferendam.
Porro diversæ similis duelli causæ assigna-
ri possunt.

1. Cum indicitur duellum ad litem & con-
troversiam aliquam dirimendam, ita ut ei
qui superat justitia attribuatur.

2. Ob odium & inimicitiam pugnan-
tium,

tium , qui in mutuam cædem anhelant-
3. Ob ostentationem virium & subtilita-
tem pugnandi, ita tamen ut se mortis peri-
culo pugnantes exponant.

4. Ad honorem conservandum qui im-
minutus aut perditus creditur, si quis duel-
lum recuset.

2. Verum omnia duella ob causas spe-
cificatas, vel alias etiam invenibiles indicta
aut inita, sub peccato mortali & pænis gra-
vissimis ab Ecclesia Dei prohibita sunt:
rationem huic prohibitioni dederunt. 1.
Res ipsa , quæ ex natura sua & per se est
peccatum mortale. 2. Diabolica crudelitas,
qua sub colore honoris vani & futilis tu-
endi, nefandam carnificinam animę & cor-
poris, Dæmon excogitavit, quam omnibus
modis tollere oportuit.

3. Nec Principum aut Regum auctori-
tas , ulli in hac causa modo suffragari po-
test, videatur *Bulla Clementis octavi* , nec
non *Pij quarti & Gregor: decimi tertij*. Ubi
pugnantes in Duello pæna excommuni-
cationis, proscriptionis bonorum, perpe-
tuæ infamiaæ , ferit : & si in duello mortui
fue-

fuerint Ecclesiastica sepultura privat, simili-
liter eorum Patronos, item Principes &
Dominos permittentes, responsa & scri-
pturas ferentes, omnesque quovis modo
cooperantes.

TITVLVS XXXIII.

*De vitiis Carnis tam Militi-
bus quam cuiusvis conditionis ho-
minibus communibus.*

Articulus Primus.

De fornicatione Simplici.

i. **F**ornicatio simplex est concubitus in-
ordinatus, simplex, & naturalis soluti-
cum soluta, estque ex natura sua peccatum
mortale, id clare patet. i. ad Corinth. 6. v. 18.
*Fugite fornicationem: omne peccatum quod-
cunqu fecerit homo extra corpus est: qui au-
tem fornicatur, in corpus suum peccat, quia
illud impie prostituit.* Multiplicia etiam
peccata ex simplici fornicatione oriri so-
lent. i. Impedimentum positum ne proles
nascatur, dum enim timent fornicatores
honorí

honori suo derogatum iri, aut nimia libidine conantur dissolyere conceptum , aut inchoatum actum carnis divertere, ne semen penetret : aut agitationibus excutere: aut potionis meretrici dare quibus vel conceptus impediatur, vel forinatus expellatur , sive ante sive post animatum factum quæ omnia sunt gravissima peccata. 2. Neglecta cura prolis ob incertitudinem parentis , quia meretrix pluribus addicta est: sive quia parens non vult prolem suam agnoscere , ad quod tamen sub peccato mortali tenetur. 3. Hinc exponuntur pueruli non sine periculo mortis , vel pravae educationis, & consequenter æternæ damnationis , quorum omnium causa sunt fornicatores.

Articulus Secundus.

De Stupro.

Stuprum est defloratio virginis contra ipsius liberam voluntatem , si vero virgo consentiat libere in copulam , non est stuprum quod singularem speciem luxuriae constituit, quia patienti libere coitum injuri

injuria non fit. Si autem non consentiat, stuprum præter peccatum mortale illiciti concubitus, superaddit malitiam gravem injuriæ virginis illatæ, ratione cuius speciem distinctam luxuriæ constituit. Cum enim integritas claustræ virginalis sit donum summæ æstimationis: gravissimam injuriam & injustitiam committere censetur, qui contra voluntatem Virginis Claustrum virginalे frangit, & si talis deflorator promiserit virginis Matrimonium tenetur eam ducere in foro conscientiæ et si nulla adesset promissionis probatio: in casu autem quo illam ducere non possit, tenetur ad dotem, secundum æstimationem prudentem, & qualitatem ac divitias personæ quæ promisit.

*Articulus Tertius.**De Raptu.*

Raptus est eductio violenta puellæ sive corruptæ sive incorruptæ, à domo Patris vel quasi patris, eo prætextu ut in uxorem habeatur. Dicitur (eductio violenta) quia si libere consentiat & libere cooperetur,

peretur egressui non est Raptus, debet enim ut sit Raptus contra voluntatem educi, & talis Raptus est gravissimum peccatum mortale, in rapiente majus fornicatione, quia non tantum ordinatur ad illicitum concubitum, sed ad violentum & ex circumstantiis coactum, vel ad Matrimonium contra liberam voluntatem.

Articulus Quartus.

De Incestu.

INCESTUS est concubitus illicitus, cum Consanguinea vel affine, usque ad quartum gradum consanguinitatis vel affinitatis, estque gravissimum peccatum mortale. Quod constat ex S. Gregor: Epist: ad felicem Episcop: 25. q. 3. c. nec eam: ubi sic: Nec eam quarum quis ex propria consanguinitate conjugem habuit, vel aliqua illicita pollutione maculavit, in conjugem ducere, ulli profecto licet Christianorum aut licebit, quia incestuosus est talis coitus, & abominabilis Deo & cunctis hominibus.

2. Petes an in confessione gradus incestus sit exprimendus. V. G. an sufficiat pænitenti dicere , commisi incestum cum consanguinea vel affine, an vero addendum sit: in secundo, tertio aut quarto gradu? R. Necessario exprimendos esse duos primos gradus collaterales , ut fratribus cum sorore, cognati germani cum cognata germana , quia gradus illi turpitudinem speciei . velut infimæ constituunt. Dicitur (gradus duos primos collaterales) quod intelligendum tam de gradibus consanguinitatis quam affinitatis , alij duo gradus non specificantur , quia etsi ad incestum pertineant, non videntur tamen ex copula illicita speciem particularem constituere, nec speciem immutare , quamvis illorum duorum graduum ratio haberi debeat, per modum circumstantiarum aggravantis vel minuentis. Ubi vero confessarius ex specificatione graduum , in cognitionem complicis deveniret, in tali casu graduum qualitates exprimendæ non sunt: quia illa accusatio in gravem infamiam tertiarum personarum cederet. R. Secundo: Necessario exprimendos esse duos primos collaterales , ut fratribus cum sorore, cognati germani cum cognata germana , quia gradus illi turpitudinem speciei . velut infimæ constituunt. Dicitur (gradus duos primos collaterales) quod intelligendum tam de gradibus consanguinitatis quam affinitatis , alij duo gradus non specificantur , quia etsi ad incestum pertineant, non videntur tamen ex copula illicita speciem particularem constituere, nec speciem immutare , quamvis illorum duorum graduum ratio haberi debeat, per modum circumstantiarum aggravantis vel minuentis. Ubi vero confessarius ex specificatione graduum , in cognitionem complicis deveniret, in tali casu graduum qualitates exprimendæ non sunt: quia illa accusatio in gravem infamiam tertiarum personarum cederet.

Necessario
exprimendos esse duos primos collaterales , ut fratribus cum sorore, cognati germani cum cognata germana , quia gradus illi turpitudinem speciei . velut infimæ constituunt. Dicitur (gradus duos primos collaterales) quod intelligendum tam de gradibus consanguinitatis quam affinitatis , alij duo gradus non specificantur , quia etsi ad incestum pertineant, non videntur tamen ex copula illicita speciem particularem constituere, nec speciem immutare , quamvis illorum duorum graduum ratio haberi debeat, per modum circumstantiarum aggravantis vel minuentis. Ubi vero confessarius ex specificatione graduum , in cognitionem complicis deveniret, in tali casu graduum qualitates exprimendæ non sunt: quia illa accusatio in gravem infamiam tertiarum personarum cederet.

exprimendos omnes quatuor primos gradus collaterales, tam affinitatis quam consanguinitatis, de duobus primis gradibus, patet, quia gradus illi turpitudinem specie velut infimæ constituunt. De tertio & quarto gradu probatur: quia licet non videantur speciem immutare, non sunt tamen circumstantiæ mere aggravantes, sed sunt aliqua ratione de substantia actus, sive operis mali, quatenus sunt pars notabilis objecti circa quod: quæ notabilis deformitas fundatur in Respectu & Reverentia naturali debita affinibus, & à fortiori consanguineis, etiam in gradu tertio & quarto, ratione copulæ carnalis tam illicitæ quam licitæ, unde & propter fatam Reverentiam, fundat copula carnalis licita impedimentum dirimens, etiam quo ad affines in tertio & quarto gradu.

Articulus Quintus.

De Sacrilegio.

IN Materia luxuriæ Sacrilegium proprie dicitur, peccatum carnis sive concubitus illicitus, alterutro vel utroque peccantium

solemni voto castitatis adstricto. Dicitur
(voto solemnis) et si enim qui votum casti-
tatis simplex emiserunt, si peccent carnali-
ter illam, circumstantiam voti exprimere
tenentur: non committunt tamen proprie-
dictum sacrilegium. Quia et si per tale vo-
tum sint Deo sua promissione obligati,
non sunt tamen Deo consecrati, & traditi,
sed non obstante tali voto, vinculum Ma-
trimonij ligat, & ad reddendum debitum
non vero exigendum obligat. Extrinse-
cum vero Sacrilegium committunt, qui in
locis Deo consecratis concubitus illici-
tos habent, aut peccata carnalia cum effu-
sione seminis committunt, ut sunt peccata
Mollitiei, sive pollutionis voluntariae, So-
domiae, Bestialitatis, &c. Item concubitus
carnalis Patrini cum filia quam de sacro
fonte levavit, aut Baptizantis cum illa
quam baptizavit, partim est incestus, par-
tim Sacrilegium, & ut verbo significetur
est incestus Sacrilegus, & gravissimum pec-
catum. Item: Confessarius cognoscens
carnaliter filiam spiritualem, ex parte sua
quia

quia est Sacerdos, committit sacrilegium,
non tamen ex parte filiae spiritualis.

Articulus Sextus.

De peccatis contra Naturam.

TRes sunt species Peccati contra naturam, Mollities, Sodomia, Bestialitas. Mollities est: libidinosa & voluntaria seminis provocatio & effusio, extra vos naturale ad generationem ordinatum, estq; mortale peccatum ex natura sua: unde 1. ad Corint. 6. Nolite errare neque molles neq; masculorum concubitus regnum Dei possidebunt. Sodomia est: Coitus inordinatus in vase à natura ad generationem non ordinato. Porro Coitus ille non tantum est masculorum in masculos, sed etiam masculorum in fæminas: etiam conjugatorum, si contrario vase coire contendant: imo & fæminarum in fæminas, clementitis virilibus congressibus & fictis modis. Solent etiam quidam perditissimi in ore coire, & in hoc turpitudo illa contra naturam cōsistit; quamvis autem interdum vase fin-

Tractatus Tertius,
 gantur, & mulieres fictis modis & instru-
 mentis in invicem exardescant, si tamen in
 vase aliquo contra naturam non fiat, mol-
 litiei peccatum magis judicandum erit,
 quam Sodomiae, utrumque tamen turpissi-
 mum est, & vitium diabolicum. Bestialitas
 est. Coitus libidinosus & inordinatus ho-
 minis cum bruto, sive passive sive active,
 & in quocunque casu fiat. Unde Levit. 18.
 cum omni pecore non coibis, nec macula-
 beris cum eo, mulier non succumbet ju-
 mento nec miscebitur ei, quia scelus est.

Articulus Septimus.

De Osculis & Amplexibus.

Oscula & amplexus, intuitu affectus
 boni & casti, non tantum cum morali
 honestate, sed etiam interdum meritorie
 dari possunt, celebrantur enim in scriptura
 tanquam signa benevolentiae, amoris &
 pacis. Oscula vero & amplexus extra con-
 jugium, quæ vel ex affectu libidinoso pro-
 cedunt, vel cum libidinoso affectu sunt
 conjuncta, sive ad concubitum carnalem
 ordinentur, sive in delectatione ex ipso
 osculo

osculo & amplexu oriente sstant, naturâ
suâ sunt peccata mortalia, nisi levitas mate-
riæ aut imperfectus consensus excuset:
Dicitur (*extra conjugium*) in conjugio e-
nīm licita sunt, in quantum ad conjugales
actus & amorem conjugalem conservan-
dum ordinantur. Cavenda tamen meretri-
cia impuritas & pericula pollutionis. Di-
citur (*nisi levitas materiæ excuset*) admitti-
tur enim levitas materiæ in motibus car-
nis, quæ facile subrepunt, & à quibus homo
vix in hujusmodi liber esse potest. Unde
levitas non attenditur in ipso osculo, si
osculum alias impudicum sit, sed levitatem
in motu Carnis levi & subreptitio, ratione
cujus osculum non infigitur, vel qui ex
osculo alias non in honesto consurgit, im-
perfectio autem consensus ponitur in in-
advertentia & motibus, sive primo primis
sive secundo primis.

Articulus Octavus.

De Tactibus.

Tactus omnes, in quacunque parte
corporis sive proprij sive alieni, quos
Y 4 justa

justa necessitas vel congrua utilitas exigit, per se peccata non sunt. V. G. Medicus debet in partibus etiam naturæ secretioribus mederi mulieri : Mulier absque peccato potest permittere, & Medicus quantum justa necessitas exigit mulierem tangere. Omnis vero tactus impudicus ab affectu libidinoso proveniens, nisi imperfectus consensus excusat, est peccatum mortale, quia vel ad concubitum ordinatur, vel ad delectationem libidinosam quæ ex tactu oritur, utrumque autem est peccatum mortale. Dicitur porro tactus impudicus, ex ratione materiali ipsius, quod in membris verecundis mulieris fiat, ut Mamillis, Lumbis, Vulva, &c. vel ex solo affectu libidinoso quo fiunt, ut tactus manuum, faciei, brachij, pressio pedis, &c. hi tamen non plus habent Malitia, quam affectus impudicus suggerit.

TRA-